BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
6 G
6

81.2.3.

49 49
f f
26

14- 12, 2, 18

Digitized by Google

PHILOSOPHICVS MVNDVS

EMINENTISSIMI PRINCIPIS

ANTONII

CARDINALIS BARBERINI

Imperio, & Patrocinio

Subiectus


A TORQVATO MAZZA PISAVRENSI

S. R. Con:

Dum Philoſophica laurea

IN EODEM SEMINARIO INSIGNIRETVR

Anno MDC.LX. Menſe Die Hore.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Ex Typographia Ignatij de Lazaris. M. DC.LX.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI

ANTONIO

CARD. BARBERINO.

TORQVATVS MAZZA

FELIC:

PORTENTORVM. molitrix ambitio, Coſroi Perſarum Regi audacius adulata, vt interminatæ potentiæ ſpecimen aliquod ſubijceret oculis,

culis, immenſam terræ, cælique compagem mirabili ſanè artificio criſtallinum in orbem contraxit. Illud videlicèt conſilium iniuit inaniſsimus Imperator, mundum in anguſtias, compendiumque redigere, vt quod virtute non poſſet, artis ſaltem beneficio totius Orbis Regnum conſequeretur. Enimuerò ſolertiſsimus artifex ſcitè adeò orbes orbibus implicauerat, noua quadam, & prodigioſa inſitione cælo terram, terræque cælum adnectens; vt quibuſcunque Principis nutibus docili vertigine tota moles obſequeretur. Claro tamen experimento ſuo ſe faſtigio ſuperbia depreſſit; inanem ſiquidem, & leuiſsimum eum

eum mundum eſſe apparebat, cui Princeps poſſet ſupercilio, & oculis moderari. Verùm, Eminentiſsime Princeps, eos dominandi limites, quos ambitio votorum duntaxat amplificatrix anguſtè nimiùm circumſcribit, felicius profectò virtus extendit, & quia terminum votis ponit, vltrà omnes rerum terminos imperat. Ades Tu ipſe ANTONI ſpectabile argumentum luculentiſsimæ veritatis. Felicitati quidem debuiſti regimen orbis terrarum, dum Sanctiſsimi Patrui Tui VRBANI OCTAVI clauo aſsideres. Ad inuidiam vſque fortunæ, quæ Te in eum locum prouectum videbat, vndè ipſa deturbare non poſſet, concordi Cæli fauore, quod

ſuis

ſuis donis inuidere non poteſt, ſuprà quatuor luſtra exteris æquè, ac ſubditis charus, exoptatusque regnaſti. Nonne tamen interceptum Patrui morte regnum virtute felicius continuaſti? Siquidem ij omnes, quos beneficijs magis, quam imperijs in regno Tibi deuincire ſtuduiſti; poſt regnum certatim omnes obſequijs, & amore ſeruire voluerunt. Hoc nimirùm aſſequitur, qui facilitate, & clementia dominatur, vt illi omnes parere velint, quibus non ampliùs licet imperare. Fuit prudentiæ, & beneficentiæ Tuæ, quod potentiſsimo Galliarum Regi in vaſtiſsimi partes Imperij Tuis ſæpè opibus, & conſilijs aſſurgeres; fuit au-

ēto-

ctoritatis , vt Tibi tanti regni præſidium, & decus committeretur. Siue igitur auro milites, ſiuè conſilio imperes, ſiuè patrocinio illius regni conſulas felicitati, regnandi vices habere Te probas. Verùm, Tua pace dixerim, longè melius magnificentia, liberalitate, & ſapientia non vni terrarum parti, ſed ijs omnibus, quibus vel præſentia, vel fama ſemper maior inuidia contigiſti, Tuarum virtutum admiratione imperas, & amore. Quis autem ſapientius optauerit, quam in ore omnium, animisque regnare? Anguſtè nimiùm dominatur humana potentia, & in deteriorem hominum partem habet imperium, dum

dum eos , quos timor præſtat dicto audientes , perſæpè votis rebelles efficit , & animis reluctantes . Ea ſiquidem eſt hominis dignitas , vt homini ſeruire , non naturæ legibus , ſed fortunæ tyrannidi tribuatur . At qui fortunæ opibus vtitur ad magnificentiæ ſplendorem , ad materiam liberalitatis , ille regnat in principe hominis parte : eius imperium nullis terminis definitur ; quia hominum animi , quibus imperat , infinita dominationis ſpatia amando exhibent imperanti . Tibi tamen Eminentiſsime Princeps veriſsimum illud regnandi præſcriptum altius inſediſſe videtur , SAPIENS DOMINABITVR ASTRIS : Si enim in

cæ-

Digitized by Google

cæteros homines opes Tuas liberalis effundis ; ſapientiæ ſtudioſis , Tui prodigus Te ipſum impendis , dum eos omnes beneficijs , præſidijsque complecteris . Hoc videlicet eſt non vni mundo , ſed infinitis propemodum moderari . Enimuerò ſi in quolibet homine totius orbis epitomen , velut in microſmo contemplamur ; in ſapientum animo non mundi compendium , ſed exaggerata omnium rerum amplitudo longè , latèque diffunditur ; neque leuiter rerum imagines litterato adumbrantur in animo , qui omnia mente complexus , omnia meliorem traducit in formam , ſuæque quodammodò naturæ facit conſortes.

Mac·

Macte igitur, ſapientiſsime Princeps, hoc genio Tuo: ſapientiæ ſectatores in Tuarum virtutum regnum admitte; ſingulis enim in ſapientibus ingenti mundo dominaberis. Optimo ego ſane conſilio Philoſophicum mundum totius naturæ varietate conſpicuum Tuo imperio ſubijcio; neque enim errandi periculum erit, ſi tuo ductu, & regimine in omnem ſapientiæ partem impellatur.

Digitized by Google

CONCLVSIONES LOGICAE.

Ex Procemialibus

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

1 LOGICÆ ſeu Dialecticæ nomine, quod variè olim fuit vſurpatum, venit nunc communiter tota & perfecta ſcientia rationalis, ſeu differendi ars, prout à Rhetorica & Poeſi diſtinguitur.

2 Si de Logica quæratur, an ſit, reſpondemus eſſe, & in naturalibus cauſis contineri, ita vt neceſſaria ſit moraliter, non tamen ſimpliciter, ad ſcientiam quamcunque perfectè, ac totaliter acquirendam.

3 Si quæratur quid ſit, reſpondemus, Logicam rectè diuidi in docentem, & vtentem, & quatenus docentem eſſe virtutem intellectus, etiam ſecundum topicam, & ſophyſticam: inter virtutes verò eſſe ſcientiam ſimul, & artem perfectam in Philoſophiæ partibus numerandam; meritòque vocari artem artium, & ſcientiam ſcientiarum, licèt rectè etiam dicatur ſciendi modus, & ſcientiarum inſtrumentum. Logica vtens non eſt tertius habitus realiter diſtinctus à docente, & ab habitibus aliarum ſcientiarum. Immo talis habitus eſſet omnino ſuperfluus ad tribuendam facilitatem diſcurrendi. Neque alij habitus dici proprie poſſunt logica vtens: neque ipſa logica quatenus vtitur ſuis præceptis in ſua materia; neque ſola pars logicæ præceptiua in particulari. Sed dicendum, eſt logicam vtentem ſola ratione diſtingui à docente per ordinem ad diuerſa connotata, itaut relata ad præcepta, ſiue vniuerſalia, ſiue particularia, quæ elicit, dicatur docens, relata autem ad actus, quos per præcepta directiuè facilitat, dicatur vtens. Quia verò per tales actus quatenus à ſe directos nihil ipſa enunciat, dici in hoc ſenſu poteſt, quòd formaliter loquendo quatenus

Digitized by Google

vtens non ſit virtus. Porro virtus in communi rectè definitur, habitus, qui facit bonum habentem, & opus eius bonum reddit; ſeu, Diſpoſitio perfecti ad optimum. Virtus autem intellectus definitur, Habitus, quo affirmando, vel negando anima verum dicit. Ideo habitus, quibus aliquando falſum dicimus, non ſunt virtutes intellectus.

4 Si de Logica quæratur, qualis ſit, reſpondemus, actus & habitus intellectuales diuidi tanquam per qualitates metaphyſicas in practicos, & ſpeculatiuos intrinſece; qui differunt fine, eò quòd practici habeant pro fine opus, ſpeculatiui veritatem. Hoc autem prouenit non ex peculiari modo tendendi præceptiuo, neque ex diuerſo obiecto materiali, ſed ex diuerſo obiecto formali, eò quòd practici ſemper enuncient aliquam veritatem practicam, quæ, quantum eſt ex ſe, alliciat ad operandum; nempe bonitatem operandi. Quare cognitio intrinſece practica illa demum erit, quæ iudicat, quomodo cognoſcenti, ſi velit aliquem finem, ſit bonum, & aptum operari hoc vel illud, quod dependenter ab ipſa cognitione ſit operabile; id eſt quod neque ſibi impoſſibile, neque iam exiſtens videatur; quæ vero non ità iudicat, erit cognitio intrinſece ſpeculatiua. Logica ergo vtriuſque generis cognitiones exercet, vnde cenſenda eſt partim intrinſece ſpeculatiua, partim intrinſecè practica. Quatenus autem practica, eſt actiua, non factiua: nec dubitamus, etiam actus intellectus poſſe eſſe praxim, quæ rectè definitur, actus regulabilis per rationem. Præter cognitiones intrinſece practicas dantur practicæ extrinſece. Sunt autem proprie loquendo illæ, quæ, penſatis omnibus, non eſſent prudenter amabiles, aut quærendæ in hac vita, niſi conducerent ad alicuius operis perfectionem. Probabile eſt, tales eſſe omnes cognitiones Logicæ; vnde cenſemus, Logicam extrinſecè recte dici totaliter practicam.

5 Si denique de Logica quæratur, propter quid ſit, reſpondemus, cauſam præcipuam extrinſecam, à qua ſpecificantur, & veluti menſurantur tum actus, tum potentiæ, & habitus, eſſe obiectum. Porro obiectum eſt, quod obijcitur. Aliud dicitur attributionis, aliud attributum, non reſpectu vnius actus, ſed reſpectu vnius integræ facultatis. Obiectum attributionis, ſeu primarium eſt illud primum, & ſaltem gene-

rice vnum , quod talis facultas proponit ſibi conſiderandum per ſe , & in ordine ad quod præcise conſiderat reliqua omnia . Obiectum attributum , ſeu ſecundarium, & communitatis , ſunt ea omnia, quæ facultas præciſe conſiderat in ordine ad illud . In omnibus actibus, vel ſcientijs accipitur incomplexum , quod ſcilicet eſt ſubiectum propoſitionum . Diuiditur in formale , & materiale . Formale eſt illa formalitas , ſeu perfectio , quæ in re exprimitur ſub tali tendendi modo , ſeu ſub qua conſideratur res à tali facultate . Materiale vero eſt ipſa res , cui talis formalitas, ſeu perfectio ineſt . Non ergo obiectum formale diſtingui debet phyſice à materiali , niſi per accidens in artibus factiuis . Obiectum attributionis logicæ ſecundum ſe ſpectatæ non ſunt omnes operationes rectæ intellectus , non ſola ſecunda , & tertia : non ſola tertia , non ſolus ſyllogiſmus , aut ſola demonſtratio ; non intellectus rectè operans ; non entia rationis logica ; non externæ voces , aut res omnes ; ſed eſt rectus ſciendi modus latè ſumptus prout complectitur definitionem, diuiſionem, & argumentationem , qui communiter definitur . Oratio ignoti manifeſtatiua . Formale vero obiectum eſt rectitudo , materiale ipſe ſciendi modus . Recipit Logica ab hoc attributionis obiecto ſufficientem vnitatem & ſpecificationem , vt dicatur ars vna , & ſcientia vna ab alijs omnibus contradiſtincta .

De Vnitate, & diſtinctione.

6 VNITAS eſt negatio diuiſionis, ſeu eſt ratio formalis, per quam aliquid quatenus tale non poteſt diuidi in plura eiuſdem rationis cum diuiſo. Alia eſt tranſcendentalis, alia prædicamentalis. Vnitas tranſcendentalis, quæ eſt proprietas entis, nihil plane à parte rei ſuperaddit ipſi enti: formaliter verò, ſeu per intellectum ſuperaddit negationem, quatenus ex noſtro modo concipiendi exprimitur per actum determinantem ad negandam diuiſionem. Vnitas prædicamentalis & realiter & formaliter ſuperaddit quantitatem, cum ſit principium numeri quantitatiui. Ab vnitate differt formaliter identitas per hoc quòd hæc ſit conceptus omnino primus, nec dicat comparationem rationis cum rebus diuiſis. Aptè autem explicatur in ordine ad actum affirmatiuum nobis notiſſimum & rectè dicitur quod realis identitas eſt affirmabilitas vnius de alio.

7 Diſtinctio eſt negabilitas vnius de alio. Diuiditur adæquatè in realem & rationis. Diſtinctio rationis, quæ etiam dicitur formalis, eſt illa, per quam vna ratio, ſeu conceptus rei non eſt alia diſſimilis ratio ſeu diſſimilis conceptus eiuſdem rei. Dicitur rationis ratiocinatæ, ſeu cum fundamento in re, ſi intellectus nihil per modum ſimplicis intelligentiæ affirmet fictum: dicitur autem rationis ratiocinantis, & ſine fundamento in re, ſi prædicto modo aliquid affirmet fictum. Diſtinctio verò realis eſt per quam vnum non eſt aliud à parte rei, ſeu eſt meritum in ipſis rebus vt vna negetur de alia per propoſitionem abſolutam. Nihil hæc ſuperaddit à parte rei entitatibus extremorum, & ſubdiuiditur in realem ſimpliciter, & modalem. Realis ſimpliciter eſt quæ datur inter duo extrema, quorum vel vtrumque vel neutrum poteſt ab altero ſeparari quoad exiſtentiam. Modalis verò dicitur quæ datur inter extrema quorum vnum tantum ſeparari poteſt ab altero. Nulla realis diſtinctio eſt minor alia, aut ſtat cum aliqua reali identitate extremorum: vnde in hoc ſenſu implicat vera aliqua di-

diſtinctio in ipſis rebus quæ ſit maior rationis, & minor reali, ſiue vocetur media, ſiue formalis ex natura rei, ſiue quocunque vocabulo.

8 Diſtinctio virtualis intrinſeca non eſt propriè diſtinctio ſed æquiualentia quædam diſtinctionis, per quam duæ formalitates realiter identificatæ habent capacitatem recipiendi in ſe aliqua prædicata contradictoria: vnde definiri poteſt Identitas realis, ſeu mutua affirmabilitas duarum formalitatum, cum earundem, vt ſunt in ſe, diſcrepantia obiectiua, & intrinſeca, quoad aliquod prædicatum; ſeu breuius, Duorum realiter identificatorum obiectiua capacitas ad recipienda contradictoria. Hæc diſtinctio virtualis, ſeu potentialis, ſeu, vt alij vocant, formalis ex natura rei, ſeu quocunque nomine vocetur, omnino implicat in creaturis: vnde inferimus pariter in ipſis implicare quancunque præciſionem obiectiuam, per quam de prædicatis identificatis cognoſcatur ſeu attingatur ab aliquo actu vnum, & non cognoſcatur, ſeu attingatur aliud.

9 Inter gradus metaphyſicos, ſiue vnus includat alium, ſiue non, nulla datur diſtinctio realis, aut ex natura rei, etiam cum mutua inſeparabilitate: ſed ſolum datur diſtinctio formalis rationis, ſeu ex noſtro modo concipiendi. Indiuiduatio autem formaliter ſumpta nullam plane dicit diſſimilitudinem, ſed ſolam diſtinctionem vnius ab alio: vnde falſum putamus ſingula indiuidua debere eſſe diſſimilia vel in eſſentijs, vel in aliquo accidente metaphyſico proprio, & inſeparabili, quo, veluti peculiari charactere, reddantur inuicem diſcernibilia.

Digitized by Google

De Vniuerſali .

10 VNIVERSALE in eſſendo & prædicando eſt vnum aptum eſſe in pluribus, & de pluribus prædicari . Eius eſſentia conſtituitur per vnitatem & aptitudinem, ad quas conſequitur prædicabilitas tanquam proprietas. Quia verò implicat vt aliquid à parte rei ſit ſimpliciter multiplex in eadem ratione in qua eſt vnum, ideò pariter implicat vt vniuerſale formale detur à parte rei ſiue extra ſingularia, ſiue ante ſingularia, ſiue in ipſis ſingularibus . Vniuerſale ergo formale ſcientificum & perfectum dari ſolum poteſt per intellectum, quia ſolus intellectus poteſt per ſuum actum tribuere rebus in ſe pluribus perfectam vnitatem extrinſecam in eſſe repreſentari . Quare aptitudo, ſeu pluralitas vniuerſalis datur à parte rei in ipſis rebus, a quibus non diſtinguitur: vnitas verò, quæ eſt vltimum & formale conſtitutiuum vniuerſalis, datur in intellectu, & eſt ipſe actus plura confusè ac per modum vnius repreſentans . Concedi tamen poteſt à parte rei dari vniuerſale fundamentale, nempe dari plura indiuidua cum ſola vnitate ſimilitudinis, quæ non eſt ſimpliciter vnitas & potius importat diſtinctionem, ſed nihilominus præbet fundamentum intellectui concipiendi ipſa plura vt vnum. Etiam actus exprimentes aliquam multiplicitatem in natura, ſufficiunt ad conſtituendum vniuerſale ſcientificum , licet non omnino perfectè vnum . Putamus autem rectè dici vniuerſale fieri per operationem tum intellectus agentis tum poſſibilis : nec requiritur cognitio reflexa aut comparatiua, ſed ſufficit directa & abſoluta . Cognitio tamen reflexa, & comparatiua requiritur ad conſtituendum vniuerſale in eſſe proxime prædicabilis . Prædicatur autem vniuerſale de ſuis inferioribus ſecundum totam ſuam latitudinem, ſeu vniuerſalitatem, prædicatione confuſa inadæquata , hoc eſt implicite diſiunctiua : ſed in iſta actuali prædicatione de illis non retinet vnitatem perfectam omnimodæ confuſionis, licet retineat vnitatem ſcientificam, hoc eſt ſufficientem & debitam ad prædicationes ſcientiarum .

11 Non ſolum intellectus humanus, ſed ētiam Angelicus poteſt facere vniuerſale ſcientificum, hoc eſt perfecte præciſum à circumſtantijs materialibus. Intellectus diuinus propter ſuam perfectionem nullo modo poteſt. Imaginatio poteſt, ſed non perfectum, aut ſcientificum. Voluntas impropriè diceretur poſſe; Senſus externos probabilius eſt nullo modo poſſe. Nihil intellectus fingit, aut mentitur dum facit vniuerſale.

De Prædicabilibus.

12 UNIVERSALE logice conſideratum, ſeu vt prædicabile de pluribus, bene diuiditur in hæc quinque prædicabilia genus, ſpecies, differentia, proprium, & accidens. Genus recte definitur prædicabile de pluribus ſpecie differentibus in quid; in qua definitione prædicabile eſt genus generis. Diuiditur etiam apte genus in generaliſſimum, ſubalternum, & infimum. Generis propietates ſunt, deſumi à materia; continere potestatiue differentias; & non includi formaliter in illis. Species prædicabilis, quæ conſtituit ſecundum prædicabile, recte definitur, id quod poteſt prædicari de pluribus ſolo numero differentibus in quid. Subijcibilis eſt quæ ſubijcitur generi, ſeu de qua genus prædicatur in quid, & in hoc ſenſu diuiditur in ſubalternam, quæ babet alias ſpecies ſub ſe, & in ſpecialiſſimam ſeu infimam, quæ non habet alias ſpecies ſub ſe. Probabilius putamus nullam poſſibilem eſſe creatam ſpeciem immultiplicabilem, ſeu quæ prædicari non poſſe de pluribus indiuiduis ſolo numero differentibus.

13 Differentia in ratione prædicabilis definitur, id quod poteſt prædicari de pluribus in quale quid. Diuiditur in ſubalternam quæ prædicari poteſt de pluribus ſpecie differentibus in quale quid, & infimam quæ poteſt prædicari in quale quid de pluribus ſolo numero differentibus. Datur in ſpeciebus differentia infima eſſentialis ſimplex; ita vt nulla creata entitas differat ab alia per ſolam negationem; ſed ſemper habeat aliquam

po-

poſitiuam differentiam ſibi propriam, per quam differat ab alijs ſpecie diuerſis. Proprium quarto modo eſt quod accidit omni ſoli, & ſemper. Definitur autem vt prædicabile, Id quod poteſt prædicari de pluribus in quale conuertibiliter cum eſſentia cuius eſt proprium. Accidens vero commune eſt quod poteſt adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem. Logice conſideratum, ſeu vt prædicabile, definiri poteſt, id quod prædicatur de pluribus in quale & non conuertibiliter cum eſſentia, cuius eſt accidens. Diuiditur bene à Porphyrio in ſeparabile & inſeparabile.

14 Indiuiduum ſubſtantiale completum recte definitur. Id cuius proprietatum aggregatum in nullo alio naturaliter fiet. Indiuiduum autem quodlibet, etiam partium, definitur, Id quod eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quodlibet alio Metaphyſice, & ſecundum adæquatam conſiderationem philoſophicam loquendo, ea indiuidua differunt ſpecie quæ diſſimilia ſunt in aliquo eſſentiali ſeu intrinſeco prædicato præſcindente ab hic & nunc, & ab omnibus prorſus hæcceitatibus. Ea vero ſolo numero differre dicuntur, quæ in tali aliquo prædicato non differunt.

15 In definitionibus prædicabilium definitur concretum accidentale, quod quidem definiri optime poteſt, licet non definitione propria, ſed per additamentum. Magis tamen in definitione concreti explicatur eſſentia formæ quæ definitur formaliter, & vt quo, quàm eſſentia ſubiecti, quæ definitur ſolum materialiter, & vt quod. Genereitas, aut ſpecieitas, & aliæ huiuſmodi ſecundæ intentiones obiectiue ſumptæ non ſunt aliquod ens reſultans in obiectis ab intellectu, qui nihil plane per ſuos actus producit in rebus: ſed ſunt meræ denominationes extrinſecæ à prima intentione formali, hoc eſt a prima cognitione directa. Quia tamen huiuſmodi denominationes in obiectis non intenduntur per ſe ab intellectu ſicut intenditur cognitio, recte in hoc ſenſu vocantur entia diminuta: & quia in ipſis obiectis non vere ſunt, vocantur entia rationis, & dicuntur habere eſſe ſolum obiectiue in intellectu, cò quòd intellectus reflectens per ſecundam intentionem formalem ſupra primam, & ſupra illius obiectum, concipiat illud tanquam habens in ſe genereitatem, vel aliud ſimile

mile

mile prædicatum ſecundo intentionale, quod ſolum habet extrinſece. Quia denique dum intellectus ſic concipit talia prædicata ſecundo intentionalia obiectiua ſæpe exprimit ac fingit illa tamquam relatiua ſuperioris ad inferiora, vel prædicari ad ſubiectum, aut quid ſimile, ideo etiam vocantur relationes rationis; nec tamen tunc intellectus omnino fingit, cum habeat aliquod fundamentum in ipſis rebus ſic exprimendi. Poteſt per nomina tum primæ tum ſecundæ intentionis prædicari formaliter vniuerſale concretum de concreto; non ita proprie abſtractum de abſtracto, aut abſtractum de concreto niſi in ſenſu identico, & reali.

De Prædicamentis.

16 AEQVIVOCA ſunt, quorum nomen commune eſt, & ſecundum nomen ratio ſubſtantiæ diuerſa. Sub hac definitione compræhenduntur Analoga, quæ vt diſtincta ab æquiuocis ſtricte ſumptis, ſunt quorum ratio eſt partim eadem, partim diuerſa. Diuiduntur autem in analoga attributionis; & proportionis. Vniuoca ſunt quorum nomen commune eſt, & ſecundum nomen ſubſtantiæ ratio eadem. Ens ſub vno conceptu perfecte præſcindit formaliter à differentijs, & eſt vniuocum: ſub alio autem conceptu magis proprio, & magis philoſophico imperfecte ab illis præſcindit, & eſt analogum reſpectu ſubſtantiæ & accidentis. Idem proportionaliter dicimus de hac, & de alijs rationibus, vt communibus Deo, & creaturis. Differentiæ tamen entis non præſcindunt formaliter ab ente; & hinc eſt quod ens non poſſit proprie dici genus. Recte diuiditur ipſum ens in decem prædicamanta. Subſtantia eſt ens primum, & per ſe, eiuſque conceptus eſt per ſe notus, vnde reliqua facile poſſunt concipi in ordine ad illam. Diuiditur in primam, & ſecundam quæ eſt diuiſio nominis in ſignificationem primo & ſecundo intentionalem. Dicitur vniuoce de ſubſtantijs creatis materialibus, & ſpiritualibus, corruptibilibus, & incorruptibilibus.

17 Re-

17 Relatio realis datur, & bene dicitur reſpectus, & ordo vnius ad aliud, ſeu Id, quo vnum refertur ad aliud. Diuiditur in tranſcendentalem, & prædicamentalem. Tranſcendentalis, prætet pure referre dicit aliquid aliud, vnde poteſt tranſcendere per varia prædicamenta. Prædicamentalis vero dicit pure referre, vnde conſtituit peculiare prædicamentum. Non conſiſtit hæc in aliquo modo ſuperaddito: non eſt mera extrinſeca denominatio rationis: neque eſt vtrumque extremum ſimul ſumptum, ſiue ambo ſumantur in recto, ſiue vnum in recto, & alterum in obliquo: Sed ſecundum ſuum eſſe reale eſt forma, ſeu perfectio adæquatè identificata cum fundamento proximo, non exprimibilis abſolute, ſed in ordine ad terminum; prout tamen actualiter referens, ſeu actualiter denominans includit etiam entitatem termini vt termini.

Ex libris perihermenias.

18 SIGNVM inſtrumentale aliud eſt naturale, aliud ad placitum. Voces humanæ articulatæ ſunt ſignum ad placitum tum rerum, tum conceptuum. Recipiunt hanc ſignificationem ex pacto, ſeu voluntate, qua ſe homines obligarunt ad non proferendas ſerio tales voces complexas, niſi habeant in mente tale iudicium. Significant autem tum per modum argumenti, tum per modum imaginis; & per modum quidem argumenti magis immediate couceptus, quàm res: per modum verò imaginis ſignificant æquè immediatè res, & conceptus.

19 Veritas formalis propriè datur in ſolo iudicio, non autem in ſimplici apprehenſione niſi diſpoſitiuè: quatenus ſcilicet diſponit ad iudicium verum. Conſiſtit in conformitate modi tendendi iudicij affirmatiui, ſeu negatiui cum obiecto. Licet aliquæ cognitiones ſint neceſſariò veræ, ita vt illæ eædem non potuerint eſſe falſæ, tamen cognitiones incertæ de obiectis contingentibus, ſunt contingenter veræ, ita vt illæ eædem potuerint eſſe falſę. Probabilius videtur poſſe

ali-

aliquam cognitionem de vera mutari in falſam. Nulla poteſt eſſe ſimul vera, & falſa. Propoſitiones de futuris contingentibus non ſunt determinatè veræ veritate actuali adæquatè nunc naturaliter exiſtente extra Deum: ſunt tamen nunc ſimpliciter veræ, vel falſæ.

Ex libris Priorum, & Poſteriorum.

20 SYLLOGISMVS eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis aliud quid à poſitis neceſſe eſt contingere eò quod hæc ſint. Tres ſolùm dantur ſyllogiſmorum figuræ, & reijcitur quarta Galeni. Præmiſſæ neceſſitant ad concluſionem etiam quoad exercitium, niſi adſit impedimentum: Concurrunt ad ipſam concluſionem non vt mera conditio, ſed vt cauſa. Debet autem concluſio intrinſecè attingere obiecta præmiſſarum. Datur ſcientia de nouo, & non eſt ſola reminiſcentia. Scientia perfecta eſt cognitio certa, & euidens rei per cauſam, Acquiritur hæc per demonſtrationem, ſeu eſt actus, qui per demonſtrationem infertur. Eſt autem demonſtratio ſyllogiſmus conſtans ex præmiſſis certis, & euidentibus. Actus ſcientiæ differt eſſentialiter ab actu opinionis. Non poteſt idem actus eſſe ſimul actus ſcientiæ, & actus opinionis de eodem obiecto. Probabilius quoque eſt, non poſſe in eodem intellectn ſimul dari actum ſcientiæ, & actum opinionis de eodem obiecto.

LAVS DEO.



CONCLVSIONES PHYSICAE.

1 PHYSICA diuiditur in duas partes, in quarum prima tractat de ente naturali in genere, in ſecunda de eodem ſecundum ſpecies. Eius obiectum attributionis eſt ens naturale, vt naturale, prout complectitur ſubſtantias completas. Accidentia vero, & ſubſtantiæ incompletæ ſunt obiectum attributum.

De Principijs Rerum naturalium:

2 PRINCIPIA prima & intrinſeca rerum generabilium bene definiuntur: quæ neque ex alijs, neque ex alterutris, ſed ex his omnia fiunt, in qua definitione non debet particula, ex, æquiuocè accipi. Prima, & intrinſeca principia entis naturalis generabilis in fieri ſunt tria materia, forma, & priuatio; at in facto eſſe ſunt tantùm duo, nempe materia', & forma. Priuatio reſpectu formæ eſt principium per modum termini à quo, ſeu recedentis, & poteſt dici principium per accidens; reſpectu vero generationis, vt mutatio eſt, debet priuatio dici principium per ſe, & per modum partis componentis. Non quælibet priuatio formæ præcedens in materia propriè principiat, ſed vltima, ſeu proxima, quæ connotat completam diſpoſitionem, ſeu aptitudinem ſubiecti.

3 Sententia agnoſcens pro principio materiali rerum generabilium, & corruptibilium diuerſa ſolum corpuſcula ſimplicia per ſolam localem iuxtapoſitionem diuerſimodè combinanda, non poteſt melius, aut aliter ſaluare axioma illud vniuerſaliter ſumptum: ex nihilo nihil fit; quam illud ſaluet ſententia docens varias, & nouas formas educi de potentia materiæ.

teriæ. Non poteſt prædicta ſententia per ſolam talium corpuſculorum iuxtapoſitionem ſaluare actus vllos intentionales, ſeu vitales imaginatiuos, memoratiuos, aut ſenſitiuos. Neque lux, neque calor, neque frigus, nec communiter loquendo, alia ſenſibilia accidentia ſunt merum effluuium talium corpuſculorum. Nulla quoque viuentia, ſiuè ſenſitiua, ſiuè ſolùm vegetatiua conſtitui, aut generari poſſunt per ſolam localem iuxtapoſitionem ſimplicium atomorum, licet ponantur tales atomi non ſolùm figura, ſed etiam natura diſsimiles. Immò neque omnia corpora inanimata per ſolam ordinationem, ſeù euocationem ſimplicium atomorum prius exiſtentium fieri, aùt naturaliter generari poſſunt. Probabilius etiam videtur, nulla corpora, vel corpuſcula ſublunaria completa de facto dari, quæ ſint ingenerabilia, aut incorruptibilia, & quæ proindè ex materia, & forma non conſtent. Iiſdem ferè rationibus refutatur ſententia quorumdam Alchimiſtarum dicentium, omnia generabilia primo componi ex ſale, ſulphure, & oleo; ſiuè, vt alij loquuntur, ex parte fixa, ex parte ſpiritoſa, & ex parte glutinoſa, diuerſimode iuxtapoſitis. Licet autem concederemus, poſſe prædicta omnia ex ſolis atomis ſimplicibus iuxtapoſitis fieri, adhuc tamen eſſet euidens, Mundum hunc non fuiſſe ex illis caſu compoſitum.

4 Male etiam ab alijs pro principio materiali aſsignabatur aqua, vel aer, vel ignis, vel terra, vel quintum aliud, completumque corpus per ſolam raritatem, aut denſitatem transmutabile. Sed dicendum omnino eſt, in omni mutatione etiam ſubſtantiali remanere ſubiectum aliquod, quod prius fuerit in corrupto, & perſeueret in genito, quod ſubiectum appellamus materiam primam, & iiſdem rationibus, quibus illud probatur dari, probatur etiam eſſe naturaliter ingenerabile, atque incorruptibile.

5 Bene materia hæc prima ex Ariſtotele duplici definitione definitur. 1. Materia eſt primum vniuſcuiuſque ſubiectum, ex quo fit aliquid, cum inſit non ſecundum accidens, & ſi corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum. 2. Materia neq; eſt quid, neq. quantum, neq; quale, neq; aliquid aliud, neq, horum negatio, ſed id, de quo hæc omnia prædicantur. Materia prima exiſtit per propriam exiſtentiam, & non per exiſ-

ſyncategorematicum: neutrum poteſt claudi duplici termino, ſi habeat primum, ſecundum, vltimum, antepenultimum, ideoque repugnat infinitum figuratum. Poteſt dari infinitum ſyncathegorematicum, cathegorematicum vero exiſtens actu totum ſimul dari non poteſt, ſeu ſit infinitum in numero, ſeu in intenſione, ſeu in extenſione. Datur infinitum in perfectione, quod eſt Deus continens perfectè perfectionem omnium rerum, quo non poteſt eſſe, nec cogitari aliquid maius. Non poteſt dari creatura infinite perfecta in genere creaturæ, ſicut nec creatura perfectiſſima omnium poſſibilium; dantur tamen aliquæ creaturæ perfectiores alijs infinitis. Quantitas eſt accidens realiter diſtinctum à ſubſtantia, & cæteris accidentibus, & eſt immediatum ſubiectum reliquorum accidentium. In vnico compoſito datur vnica quantitas. Continuum tam ſucceſſiuum quam permanens non componitur ex ſolis indiuiſibilibus, ſed partibus phyſice diuiſibilibus finitis actu, infinitis in potentia. Per has autem ſufficienter, & bene ſaluantur in continuo permanenti puncta, lineæ, ſuperficies, in ſucceſſiuo momenta, & inſtantia, in vtroque termini: nec ad hoc opus eſt particulis virtualiter indiuiſibilibus terminatiuis, ſiue copulatiuis, quas omnes negamus. Omnes res permanentes incipiunt, & deſinunt inceptione & deſitione ſibi intrinſeca, per primam ſcilicet, & vltimam partem realem ſuę durationis.

20 Mundus non fuit, neque potuit eſſe ab æterno, nec de potentia quidem Dei abſoluta, ſed creatus fuit in tempore. Eſt perfectus, & intrinſecè aptus ad ſuum finem, ita vt in ordine ad finem, quem Deus ſibi de facto propoſuit, non potuerit produci alius mundus perfectior. Potuit tamen creari mundus perfectior abſolutè, hoc eſt aptus intrinſece ad finem naturalem perfectiorem. Mundus eſt rotundus, diuiditur in cæleſtem, & elementarem, & etiam elementaris eſt rotundus. Terra, & aqua efficiunt vnum globum rotundum non geometricè, ſed phyſicè. Superficies maris, & omnium aquarum quieſcentium per ſe eſt ſphærica circa centrum terræ. Syſtema ponens ſolem immobilem, terram autem moueri circa ſolem, reijciendum eſt, vt contrarium etiam rationi naturali. Cœlum non eſt corpus ſimplex, ſed conſtat ex forma, & materia eiuſdem rationis ac noſtra. Secundum ſe totum eſt natura-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De Cauſis.

10 DANTVR in rerum natura cauſæ, quæ in communi bene definiuntur: Cauſa eſt principium dans eſſe alteri carenti eſſe à ſe. Effectus correlatiuum cauſæ eſt: Principiatum carens eſſe à ſe, illudque accipiens ab alio. Iuxta mentem Ariſtotelis non bene definitur: Cauſa eſt principium dans eſſe rei contingenti: Omnis effectus proprietas eſt dependentia, & indigentia. Cauſa vniuocè diuiditur diuiſione adæquata in efficientem, finalem, materialem, & formalem. Omni cauſæ præter formalem conuenit prioritas ad ſuum effectum. Ad prioritatem autem cauſalitatis reducuntur cæteræ prioritates naturæ, ordinis, temporis, & à ſubſiſtendi conſequentia. Prioritas naturæ conuenit etiam paris conditionibus reductiuè ad cauſam efficientem.

11 Cauſa efficiens eſt primum principium motus, & quietis. Ly motus accipiendus eſt latè pro quolibet tranſitu de non eſſe ad eſſe, vt definitio Ariſtotelica comprehendat etiam creatiuam, poteſt etiam definiri principium extrinſecum phyſicè dans eſſe alteri contradiſtincto carenti eſſe à ſe. Diuiditur in primam, & ſecundam, vniuocam, & æquiuocam, liberam, & neceſſariam, principalem, & inſtrumentalem. Eius cauſalitas eſt actio, quæ non diſtinguitur ab effectu, quando effectus non eſt indifferens, vt procedat à diuerſis cauſis: at quando hic eſt indifferens, ipſa diſtinguitur, & eſt entitas modalis, poſitiua, effectui intrinſeca, eſſentialiter alligata vtrique, non autem puris conditionibus.

12 Cauſa idealis reducitur ad efficientem: eſt autem forma in mente artificis, quam effectus imitatur ex intentione agentis. Opus efficiendum eſt idea vt quod, cognitio eſt idea vt quo. Cauſalitas ideæ eſt actio productiua operis, vt pendens à tali cognitione. Deus operatur ex idea & agentia artificialia, non autem omnia agentia creata, vt elementa.

13 Cauſa materialis eſt, ex qua influente aliquid fit, ita vt ſit. Diuiditur in intrinſecam, & extrinſecam. Extrinſeca

Digitized by Google

eſt, ex qua influente fit aliquid contradiſtinctum, quod ineſt, ſeu recipitur in illa mutando intrinſece. Eius ratio conuenit materiæ primæ, & etiam formis, tum materialibus, tum ſubſtantialibus, tum accidentalibus: eius cauſalitas eſt paſſio, quæ non eſt aliquid diſtinctum realiter, ſed ſolum formaliter ab actione. Eius effectus eſt non ſolum forma, ſed etiam vnio formæ. Anima autem rationalis non eſt effectus vilius cauſæ materialis, nec habet ſubiectum ſuſtentationis, ſed ſolum receptionis, ſeu informationis. Intrinſeca eſt: ex qua influente per modum partis determinabilis fit aliquid contra diſtinctum. Eius cauſalitas eſt vnio ad compartem determinatiuam. Effectus eſt totum ex vtriſque reſultans.

14 Cauſa formalis eſt illa, quæ per modum partis determinantis dat eſſe alteri non contradiſtincto, non habenti eſſe à ſe. Eius cauſalitas eſt vnio ad compartem determinabilem. Effectus eſt totum ex vtriſque reſultans, non autem materia ſecundum ſe vllo modo. Deus non poteſt ſupplere defectum cauſæ materialis, vel formalis.

15 Finis eſt, cuius gratia cætera fiunt. Eſt cauſa realis, immo eſt prima omnium cauſarum. Ipſum bonum eſt virtus cauſatiua vt quod: cognitio non eſt mera conditio, ſed virtus cauſatiua vt quo, cauſalitas actualis qua finis cauſat amorem, eſt motio metaphorica, qua mouet ad amorem ſui, cauſalitas, qua cauſat cæteros effectus, eſt motio, qua finis amatus mouet ad ponendos effectus amorem conſequentes. Eadem actio, quæ comparata cum efficiente eſt effectio, comparata cum fine, eſt finalizatio. Effectus cauſæ finalis ſunt omnia, ad quæ mouet finis cognitus, nimirum amo, & intentio, conſultatio, & electio mediorum, eorum executio, & gaudium de fine poſſeſſo. Omnia operantur propter finem, ſed non eodem modo; nam quæ habent intellectum ordinant ſe ipſa ad finem: quæ carent intellectu, operantur propter finem, tanquam mota; ac directa ab aliquo habente intellectum.

16 Inter finem, & media datur mutua cauſalitas. Inter alia cauſantia per exiſtentiam, & influxum, nec datur, nec dari poteſt etiam de potentia abſoluta, ſiue in eodem, ſiue in diuerſo genere cauſę, ſiue immediatè, ſiue mediatè, etiam ſi vtrumque ſe mutuo cauſantium cauſaretur ab vno tertio.

17 Vl-

Digitized by Google

17 Vltra cauſis per ſe dantur cauſæ per accidens, inter quas rectè numerantur fortuna, & caſus. Inter effectus verò per accidens præcipuè ſunt monſtra, quæ bene definiuntur: Effectus naturales à recta, & ſolita ſecundum ſpeciem diſpoſitione degenerantes: nihil tamen in natura eſt ſimpliciter per accidens, ſed quicquid eſt per accidens reſpectu cauſæ inferioris, eſt per ſe reſpectu ſuperioris. Fatum benè definitur: Rebus mobilibus inhærens immobilis diſpoſitio, per quam diuina prouidentia ſuis quæque nectic ordinibus. In quo ſenſu admitti poteſt, ac debet; non autem in ſenſu dicente purè antecedentem neceſſitatem ineluctabilem:

De Proprietatibus.

18 DATVR locus, & rectè definitur: Superficies prima corporis continentis, immobilis. In hoc ſeuſu non omnia corpora ſunt in loco, ſed ſolnm corpora inferiora. Præter locum extrinſecum, datur etiam intrinſecus dicens aliquam formam modalem diſtinctam à ſuperficie continentis, & à re contenta, quæ dicitur vbicatio. Vbicatio diuiditur in definitiuam, & circumſcriptiuam. Definitiua eſt per quam res eſt tota in toto, & tota in qualibet parte ſpatij. Circumſcriptiua eſt, per quam res eſt tota in toto, ſed non tota in ſingulis partibus, ſed ſecundum vnam in vna, ſecundum aliam in alia. Prima eſt propria ſpirituum, ſecunda corporum. Spatium aliud eſt reale, aliud imaginarium. Spatium reale ſunt ipſæ vbicationes exiſtentes actu, habentes inter ſe talem correſpondentiam diſtantiæ, aut propinquitatis. Imaginarium eſt ipſæ eædem vbicationes, non exiſtentes actu, ſed purè poſſibiles. Spatijs imaginarijs Deus non coexiſtit actu, ſed potentia. Nec naturaliter, nec ſupernaturaliter poteſt vlla creatura eſſe in pluribus locis, niſi præſentia non reddente potentem ad cauſandum, & patiendum ibidem. Taliter replicatam connaturaliter comitantur omnia eius perfectiua, præter vbicationem, quæ neque diuinitus transferri poteſt

ab

liari modo intrinſece communicatiuo extremorum . Inter duas entitates incompletas poſſibilis eſt duplex vnio, quarum neutra ſit ſuperflua. Poſſibilis eſt etiam ſimplex mutuo communicatiua vtriuſque extremi, & talis de facto eſt quæ datur inter materiam, & formam. In compoſito ſubſtantiali eſt ſubſtantialis, in accidentali eſt accidentalis. Inter animam rationalem, & corpus non eſt ſpiritualis, ſed materialis, & ſubſtentatur ab vtroque. Et vniuerſaliter loquendo vbi extrema mutuo ſe perficiunt, debet ſubſtentari ab vtroque, vbi non mutuo, ab eo, quod perficitur.

8 Totum non diſtinguitur à partibus ſimul ſumptis; diſtinguitur tamen formaliter ratione noſtra. Priuatio, quam Ariſtoteles numerat inter principia corporis naturalis, importat in ſuo conceptu capacitatem ſubiecti non identificatam adæquatè cum materia, ſed partialiter cum forma corrupti. Forma corrupti eſt partialiter principium corporis naturalis in fieri, non tamen reſpectu potentiæ diuinæ.

Ex Libro de Generatione, & Corruptione.

DATVR Generatio ſubſtantialis, quæ benè ab Ariſtotele definitur: Mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto eodem. Diſtinctiuum autem, per quod ipſa diſcernitur ab augmentatione, alteratione, alijsque omnibus mutationibus eſt: quia per ipſam ſemper incipit de nouo aliquod totum ſubſtantiale, quod prius non erat, & deſinit aliud totum ſubſtantiale, quod prius erat. Generatio præuia, & diſpoſitiua, per quod producuntur diſpoſitiones, & accidentia prærequiſita ad introductionem formæ ſubſtantialis, ſi præcisè ſumatur, realiter diſtinguitur à generatione vltima, & formali. Corruptio benè definitur: Mutatio ipſius ab eſſe ad non eſſe: quod quia naturaliter loquendo ſemper fit cum productione alterius, ideo benè dicitur, quod corruptio vnius eſt generatio alterius, & vice verſa. In conuerſione, ſeù corruptiua, ſeu productiua ſufficit, ſi interueniat vnica actio poſitiua. Nulla forma neque accidentalis, neque ſubſtantialis poteſt naturaliter tranſire ab vno ſubiecto in aliud. Accidentia communia, qualia ſunt calor, color, odor, & alia huiuſmodi, licet tribuant denominationem toti compoſito, non recipiuntur in ipſo toto, ſed in materia mediante quantitate, vndè probabilius putamus non dari reſolutionem vſque ad materiam primam, ſed multa accidentia remanere in genito ex ijs, quæ præextiterant in corrupto.

Demonſtratur ratione naturali exiſtentia Cauſæ primæ incauſitæ tum ſub conceptu entis à ſe carentis omni defectu, tum ſub conceptu primi motoris immobilis, tum ſub conceptu entis neceſſarij. Eius eſſentia conſiſtit in hoc prædicato quod ſit ens à ſe, & ex hoc benè inferuntur alia prædicata Dei, quæ ſunt perfectiones, & proprietates ipſius. Nempe eſſe æternam, neceſſariam, habentem omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices ab omni imperfectione, & defectu depuratas, vitam ſcilicet

licet

licet feliciſſimam, intellectum, & voluntatem perfectiſſimam, perfectiſſimamque libertatem, vt per ſuam potentiam operetur, vel non operetur ad extra: habere eſſe infinitum, & immenſum, etiam preſente cuicunque loco: eſſe optimam, & quo nihil melius excogitari poteſt: Cauſare cœtera omnia, ita vt tribuat illis eſſe, & perfectiones omnes, quas habent: eſſe perfectè ſimplicem, adeoque purum actum, & cuiuſcunque accidentis incapacem: eſſe ſibi ſuam perfectiſſimam beatitudinem, tum formalem, tum obiectiuam: Eſſe vnicam, & habere prouidentiam rerum humanarum. Porrò Cauſa prima non ſolum producit, ſed etiam conſeruat alia omnia Entia: Nec ſolum de facto concurrit immediatè ad omnes operationes, & ſingulos effectus cauſæ ſecundæ, tum liberæ, tum neceſſariæ, ſed etiam de poſſibili implicat, quod cauſa ſecunda aliquid operetur, ad quod non immediatè concurrat Deus. Eius autem concurſus in actu primo non eſt prædeterminatio phyſica, ſed cum cauſis neceſſariis eſt decretum determinatum, & antecedens; cum liberis vero antecedens quidem, ſed indeterminatum, & diſiunctiuum; influxus, ſeù concurſus Dei in actu ſecundo eſt realiter idem cum influxu, & concurſu Creaturæ, adeoque eadem actio indiuiſibiliter pendet à Deo, & à creatura.

Cauſa ſecunda totalis, & adæquata eſt illa cauſa creata, quæ non indiget alio creato comprincipio ad ſuum effectum producendum. Non eſt neceſſe, vt contineat omnem perfectionem effectus: Neque ſufficit: quod habeat aliquam perfectionem ſimilem alicui perfectioni, quæ ſit in effectu ſimiliter. Non ſufficit, neque fortaſſe requiritur, vt habeat maiorem perfectionem, quam effectus: ſicut neque ſufficit, neque requiritur, quod ſit eiuſdem ſpeciei cum effectu. Debet autem habere perfectionem ſaltem æqualem perfectioni effectus, ita ſcilicet vt non ſit imperfectior ipſo, illumque contineat in ſe, vel formaliter, vel virtualiter. Vnde putamus nullam eſſe perfectionem quam effectus non poſſit accipere, ac proindè de facto non accipiat à cauſa ſecunda præter vnam quam neceſſario accipit à ſolo Deo conſiſtentem in diſtinctione à defectibus Cauſæ. Datur conceptus vniuocus Cauſæ inſtrumentalis. Subſtantia creata non ſolum ad actiones immanentes, ſed etiam tranſeuntes in

externam materiam poteſt immediatè concurrere, nec ad productionem ſubſtantiæ concurrunt, aut concurre poſſunt immediatè ſola accidentia, ſed requiritur etiam ſubſtantia, quæ ſit cauſa principalis, accidentia verò inſtrumentalis.

Non datur ſeries effectuum, ſed cauſæ ſecundæ tùm neceſſariæ, tùm liberæ ex natura ſua ſunt indifferentes, & à Deo determinantur ad indiuiduationem ſuorum effectuum, vel actuum. Plures cauſæ totales in actu primo ſaltem remoto poſſunt naturaliter concurrere ad eumdem effectum. In actu ſecundo neque ſupernaturaliter poſſunt.

Alteratio ſtrictè ſumpta prout ſignificat motum ad qualitatem ſenſibilem corruptiuam benè ab Ariſtotele definitur, Mutatio in paſſionibus contrarijs, aut medijs remanente eodem ſubiecto ſenſibili. Porro qualitas, cuius alteratio eſt productio habet partes tum extenſiuas, tum intenſiuas. Partes extenſiuæ ſunt, per quas extenditur in ſubiecto, ità vt vna pars qualitatis ſit in prima parte ſubiecti, alia in ſecundo, & ſic de reliquis. Partes intenſiuæ ſunt, per quas qualitas creſcit, & augetur in eadem parte ſubiecti. Qualitates perfectiuæ, qualis eſt lux, producuntur ſimul tum quo ad extenſionem, tum quo ad intenſionem. Qualitates verò corruptiuæ, quales ſunt calor, & frigus non producuntur ſimul, neque quo ad intenſionem, neque quo ad extenſionem, ſed ſucceſſiuè. Motus iſte ſucceſſiuus tum ſecundum intentionem, tum ſecundum extenſionem per ſe eſt continuus, licet aliquando per accidens ſit diſcretus.

Intenſio bene definitur motus eiuſdem ſecundum idem à minus tale ad magis tale. Remiſſio verò bene definitur Motus eiuſdem ſecundum idem à magis tale ad minus tale. Porro intentio non fit per hoc, quod eadem qualitas, quæ prius erat magis in ſubiecto radicetur, Neque per hoc, quod magis, & magis educatur de potentia materiæ. Neque per ſegregationem, aut depurationem à contrario. Neque per productionem qualitatis perfectioris, & deſtructionem imperfectioris præcedentis, ſed fit per additionem partis ad partem eiuſdem qualitatis in eadem parte ſubiecti. Remiſſio verò fit per diminutionem ſubtractionemque earumdem partium. Probabilius tamen putamus actus vitales cognitiones, ſcilicet volitiones non

C intenſ-

intendi per addictionem partis ad partem, ſed per mutationem, per quam loco cognitionis imperfectioris ponatur alia perfectior, & loco amoris imperfectioris ponatur alius perfectior. Gradus intenſionis ſunt omninò homogenei quo ad perfectionem; neque vllam habent & heterogeneitatem ordinis.

Simile non agit in ſimile etiam in actione, quæ fit per antiperiſteſim, reflexione, & refractione. Actio reflexa eſt, quæ inueniens impedimentum retrocedit, & approximatur principio, à quo diſceſſerat. Huius proprium eſt, Primo ſi linea, per quam cauſa operatur, faciat duos angulos rectos cum obſtaculo, reflexio regrediatur per eamdem lineam, per quam actio directa proceſſerat. Si verò faciat angulum acutum etiam reflexio regrediatur per acutum eadem acutie, qua fuit angulus directæ operationis, ſecundo proprium reflexionis eſt, vt, quo magis accedit ad lineam perpendicularem, eo fit robuſtior. Si verò fiat per lineam perpendicularem, fit robuſtiſſima. Tertio proprium reflexionis eſt, vt detur reflexio reflexionis. Actio refracta eſt, quæ inueniens diuerſam diſpoſitionem medij non pergit per eamdem lineam, ſed per aliam facientem angulum. Variatio autem medij poteſt eſſe duplex, vel ex rariore in denſius, vel ex denſiore in rarius, ſi autem corpus refrangens eſt denſius, tunc obliquatio fit verſus perpendicularem, quando autem eſt rarius tunc obliquatio fit contra perpendicularem. Idem non poteſt producere ſe ipſum per primam productionem: Neque exiſtens per vnam, poteſt per ſecundam reproducere ſe ipſum: Neque poteſt conſeruare: Neque deſtruere ſe ipſum formaliter ſubtrahendo ſibi concurſum conſeruatiuum ſui. Neque etiam deſtruere quaſi efficienter producendo accidens incompoſſibile cum ſui conſeruatione pro eo inſtanti, in quo eſt. Poteſt aliquis ponere aliquam diſpoſitionem pro hoc inſtanti, ad quam ſequatur ſua deſtructio pro inſtanti ſequenti. Huiuſmodi diſpoſitiones, ex quibus ſequitur corruptio non appetuntur materialiter ab ipſa directè, ſed indirectè. Implicat ſubſtantia, quæ ſua ſponte abſque vllo contrario exigat ſuum interitum. Secus dicendum de Accidentibus. Idem poteſt agere in ſe ipſum actione æquiuoca. Nullum autem agens agit in ſe ipſum actione vniuoca perfectiua. Agens non poteſt naturaliter, aut ſupernaturaliter agere in eiſtans: Eiuſque

in

immediatio ad paſſum ſemper requiritur pro priori natura ad actionem; ſufficit tum ſi ſit immediatio virtutis. Seclusis impedimentis diffundit actionem ſuam ſphæricè, & intra ſuam ſphæram, quæ ſemper eſt limitata, agit vniformiter, difformiter: Proportio autem, qua eius actio decreſcit non eſt Arithmetica, ſed geometrica. In nulla parte ſuæ ſphæræ producit tantum qualitatis, quantum habet in ſe. Non omne agens in agendo repatitur, ſed tantum agens habens contrarium, & exequens effectum per ſe immediatè ſenſibilem. Tunc enim non ſolùm robuſtius indebilius, ſed etiam debilius in robuſtius poſitiuè reagit; nec ex poſitiua iſta reactione ſequitur, idem paſſum moueri ſimul motibus contrarijs. Ex qualitatibus contrarijs implicat vnam eſſe magis actiuam, ſimulque minus reſiſtitiuam, quam alteram, aut è conuerſo omnia animata ex natura ſua poſtulant certos terminos tum magnitudinis, tum paruitatis. Inanimata fluida ſublunaria, ſiuè connexa, ſiuè inconnexa tum animatis nullum ex natura ſua poſtulant certum terminum magnitudinis. At ſolida omnia illum poſtulant: Inanimata omogenea corruptibilia nullum ex natura ſua poſtulant certum terminum paruitatis. Tum in intenſione, tum in remiſſione qualitatum datur naturaliter maximum, & minimum quod ſit.

De Elementis, eorumque qualitatibus.

ELEMENTVM accipitur ſtrictè, & late. Late acceptum ſignificat quamcunque partem componentem aliquid totum, & in hoc ſenſu definitur. Id ex quo primo inſito, & indiuiſibili in aliam ſpeciem aliquid componitur. Strictè acceptum ſignificat ſolummodo illa corpora componentia, in quæ reſoluuntur omnia mixta: ipſa verò non reſoluuntur in alia corpora. Et in hoc ſenſu definitur. Elementum eſt illud corporum, in quod cætera corpora diuiduntur, quod ineſt potentia, vel actu, ipſum autem vt indiuiſibile in diuerſa ſpecie: ſeù Elementum eſt corpus ſimplex, in quod alia corpora reſoluuntur. Dum autem Elementum dicitur corpus ſimplex non eſt ità accipiendum, quaſi non ſit compoſitum ex materia, & forma. Elementa in hoc ſenſu accepta non ſunt nec plura, nec pauciora quatuor illis communiter aſſignatis: Igne, Aere, Aqua, Terra.

Primæ qualitates Elementorum ſunt pariter quatuor, calor, frigus, humiditas, & ſiccitas: Non dicuntur autem primæ, quaſi nulla alia detur prior illis, ſed dicuntur primæ, tùm quia inter qualitates ſenſibiles, proprias rerum ſublunarium ſunt maxime ſenſibiles: tum quia ex earum temperie ita conſtat natura mixti corporis, vt ea diſſoluta neceſſarium ſit diſſolui mixtum, tùm denique quia ex alteratione harum qualitatum videmus alterari alias quas vocamus ſecundas. Iſtæ primæ qualitates non ſunt forma ſubſtantialis, aut pura negatio ſui contrarij, ſed ſunt formæ accidentales poſitiuæ. Calor eſt, quod congregat tantum homogenea: Frigus eſt quod congregat tàm homogenea, quàm hæterogenea: Humiditas eſt id, quo humidum facile terminatur termino alieno, difficile proprio: Siccitas eſt id, quo ſiccum facile terminatur termino proprio, difficile alieno. In definitione caloris, & frigoris per ly hæterogenea intelligitur diſſimilia, quo ad virtutem motricem, & per ly homogenea intelligitur ſimilia, quo ad eamdem virtutem: quomodocunque ſe habeant quo ad eſſentiam, aliaque prædicata non pertinentia ad motum, ſitumque localem. Caloris proprium

eſt

eſt rarefacere: Frigoris verò condenſare, vndè qui vellet defi-nire calorem, & frigus alia definitione poſſet dicere: Calor eſt qualitas multiplicatiua ſui, & rarefactiua materiæ, frigus eſt qualitas multiplicatiua ſui, & condenſatiua materiæ. Hinc benè infertur calorem, & frigus eſſe qualitates actiuas, Humiditatem, & Siccitatem paſſiuas. Singulis elementis conuenit vna qualitas in gradu ſummo, altera in intenſo. Elementum verò, in quo qualitas non eſt ſumma, habet tot gradus de contraria, quot de iſta illi deſunt ad explendos octo gradus qualitatis. Terra eſt ſicca in ſummo, in intenſo frigida. Aqua eſt frigida in ſummo, in intenſo humida. Aer humidus in ſummo, in intenſo calidus. Ignis eſt calidus in ſummo, in intenſo ſiccus. Aſſerimus autem iſtam qualitatum diſtributionem elementis aſſignatam conuenire iiſdem in ſuo ſtatu naturali. Porro calor ignis, & calor aeris, ſicut etiam cæteræ qualitates ſimbolæ non differunt ſpecie inter ſe, ſed ſolum ſecundum magis, & minus Licet quoduis elementum, ſaltem quo ad aliquas minutiſſimas particulas potuit immediatè tranſmutari in quoduis aliud elementum, tamen facilius tranſmutatur in ſymbolum, quàm in diſſymbolum. Ex duobus Elementis diſſymbolis poteſt generari vnum tertium Elementum vtrique ſymbolum.

Mixtio propriè ſumpta bene definitur Miſcibilium Elementorum vnio. Vbi ly miſcibiliũ debet accipi materialiter, non formaliter; Neque ly, vnio accipitur pro mera locali iuxtapoſitione, ſed pro vnione perfectiua: Vndè aſſerimus formas ſubſtantiales Elementorum non remanere actu in mixto. Quia tamen in mixto remanent qualitates refractæ Elementorum dicitur in mixto remanere elementa in potentia, hoc eſt ſecundum virtutem, ſeu qualitates, quæ ſunt potentia ipſarum.

Temperamentum non eſt quinta qualitas à quatuor primis diſtincta, ſed ſunt ipſæmet primæ quamdam inter ſe proportionem habentes. Diuiditur in temperatum, & intemperatum. Temperatum eſt, in quo nulla qualitas notabiliter excedit contrariam, & ſubdiuiditur in temperatum ad pondus, & temperatum ad Iuſtitiam. Temperatum ad pondus eſt in quo nulla planè qualitas ſuperat contrariam, ſed ſumma ineſt omnium æqualitas. Temperamentum autẽ ad Iuſtitiam eſt id, quod maximè accommodatum eſt naturæ eius, cui competit, ita nam vt nulla quali-

Digitized by Google

tas notabiliter excedat cæteras. Intemperatum eſt, in quo vel vna, vel vtraque qualitas notabiliter excedit contrarias. Subdiuitur in ſimplex, & compoſitum. Simplex eſt, in quo vna tantum qualitas notabiliter excedit alteram, Reliquæ vero duæ ſunt contemperatæ, Compoſitum eſt, In quo datur qualitas valdè excedunt ſupra alias duas. Temperamentum ad pondus licet rariſſimo detur tamen aliquando datur, & eſt vnicum. Temperamentũ ad Iuſtitiam ſœpe datur in mixtis, ſed non diu perſeuerat, & eſſe poteſt multiplex. Poteſt etiam diuidi temperamentum in duas ſpecies ratione principij à quo cauſatur nempe in temperamentum innatum, & illatum. Innatum eſt, quod prouenit à cauſis intrinſecis. Illatum eſt, quod prouenit à Cauſis extrinſecis.

Præter quatuor primas qualitates alteratrices, dantur in Elementis qualitates motrices ex varietate motuum localium iiſdem conuenientium deprehenſæ. Tales ſunt grauitas, & leuitas. Grauitas eſt qua res nictitur deorſum, ſeu ad medium, & centrum. Leuitas eſt, qua res nititur rurſum, & ad circumferentiam. Porro grauitas, & leuitas non identificantur cum ſubſtantia elementorum, aliarumque rerum grauium; & leuium: Neque identificantur cum Temperamento quatuor primarum qualitatum, ſed ſunt qualitas ab ipſo diſtincta. Grauitas proxime oritur à denſitate, & ſpecie differt à leuitate, quæ proxime oritur à raritate. In igne, & aere datur leuitas poſitiua, ſicut in terra & aqua datur grauitas poſitiua. Inclinant per ſe ad loca realia: ad imaginaria verò ſolum per accidens. Grauia, & leuia non ſolum grauitant, & leuitant extra propria loca, ſed etiam in proprijs: Tunc autem dicimus rem grauem eſſe in proprio loco, cum neque infra ſe, neque ad latera mediate, vel immediatè habet aliud corpus in ſpecie leuius, quod æque vel minus diſtet à centro quàm ipſa. Idemque proportionaliter valet de re leui.

Negamus figuram poſſe per ſe ipſam impedire deſcenſum rei grauioris in ſpecie, & aſcenſum leuioris, licet non negemus poſſe motum aliquatenus retardare.

Præter motum grauium, & leuium datur etiam motus proiectorum. Hæc non mouentur à medio, ſed ab impetu, & virtute ipſis impreſſa à proiiciente, quæ non ſolum producitur in proiectione, ſed etiam in vectione, latione, tractione. Porro virtus impreſſa non eſt cauſa per ſe, vt res allitæ ad aliquod corpus reſiliát.

Sed

Sed cauſa per ſe talis reſultantiæ eſt compreſſio vtriuſque, vel ſaltem alterius ex corporibus alliſis cum celeri reuerſione ad ſuam priſtinam figuram. In puncto autem reflexionis non datur quies.

Datur raritas, & dentitas. Benè definitur rarum eſſe illud, quod parum habet materiæ ſub magnis dimenſionibus. Denſum verò eſſe illud, quod multum habet materiæ ſub paruis dimẽſionibus. Porro corpora non rareſiunt per interceptionem vacui inter vnam, & aliam particulam materiæ. Neque per Interpoſitionem tenuium corpuſculorum, neque per penetrationem partium inter ſe penetratarum. Sed rarè fiunt per hoc, quod eædem partes materiæ, & quantitatis habeant maiorem extenſioné, quam antea. Raritas alia dicitur radicalis, & in actu primo. Alia formalis, & in actu ſecundo. Radicalis eſt exigentia vbicationum magnarum, per quas partes materiæ conſtituuntur in magno ſpatio imaginario. Formalis ſunt ipſæ vbicationes magnæ, per quas partes materiæ conſtituuntur in tali magno ſpatio. Prima eſt propria, & ſimpliciter raritas, & quod eam habet dicitur ſimpliciter rarum, licet non habet ſecundam ſecunda eſt raritas ſolum denominatiuè à prima tanquam à ſua Cauſa, & radice, & quod habet ſecundam ſine prima non dicitur ſimpliciter rarum. Porro iſta exigentia magnarum vbicationum non idenficatur cum forma ſubſtantiali, aut cum materia ipſius corporis rari, neque cum Temperamento qualitatum, ſed eſt qualitas intrinſeca corpori raro diſtincta ab alijs eius qualitatibus conſtituentibus temperamentum. Idem proportionaliter dicimus de denſitate. Probabilius putamus, raritatem diſtingui à leuitate, & denſitatem à grauitate.

De

De Anima.

VIVENS vniuerſaliter ſumptum diuiditur in viuens in actu primo, & Viuens in actu ſecundo. Viuens in actu primo eſt Quod ex ſua natura poteſt ſe determinare ad motum, & perfectionem intrinſecam, ad quam non eſt omnimode determinatum à generante. Viuens in actu ſecundo eſt motus, ſeu perfectio immanens exiſtens ab intrinſeco, & non ex mera determinatione generantis. Talis conceptus viuentis vniuoce conuenit Angelis, hominibus, & brutis: nullus autem importans motum poteſt competere vniuoce creaturis, & Deo.

Anima non eſt ignis, vt volebat Democritus, neque eſt aer ſubtiliſſimus, vt Diogenes, Neque vapor ſubtiliſſimus, vt Heraclitus, neque ſanguis puriſſimus, vt Critias, neque numerus armonicus, ſeu temperata ex elementis complexio, vt Pitagoras, neque flos elementorum, vt Empedocles, & Plato, neque potentia motiua, vt Tales Mileſius, neque potentia intellectiua vt Anaxagoras, ſed eſt Actus primus corporis naturalis organici potentia vitam habentis. Seu eſt id quo primo viuimus, ſentimus, & intelligimus, vt voluit Ariſtoteles, quæ ſecunda definitio, ſi ſumatur in ſenſu diſiunctiuo, conuenit omnibus animabus; ſi vero ſumatur in ſenſu copulatiuo, ſoli animæ rationali competere poteſt. Tot ſunt ſpecies animarum, quot ſunt ſpecies animatorum.

Anima eſt ſuſa toto corpore & eſt forma totius corporis organici ipſum ſecundum omnes partes actuans, & informans, & non ſolum ſecundum aliquam aut cerebrum, aut epar, aut cor: Bene tamen ab Ariſtotele cor vocatur fons vitæ, quia in eo fabricantur ſpiritus deſeruientes aduitales functiones. Huius partes diuiduntur in alimentitias, & excrementitias. Excrementitiæ ſubdiuidũtur in vtiles & inutiles; Alimentitiæ ſubdiuiduntur in homogeneas, & etherogeneas. Omnes illæ partes quæ exercent aliquam operationem vitalem ſunt animatæ, quæ nullam exercent ſunt inanimatæ & in ſpecie ſunt animata Caro, oſſa, nerui, fibæ, membranæ, cartilagines, cutis, arteriæ, viſcera, cor, epar, cerebrum; Animantur etiam ſpiritus, dentes, vngues,

ca-

capilli, & pili, plumæ ouium, teſtæ, & cocleæ animalium ſpinæ tum animalium tum arborum, & medulla ſpinalis,

Partes, quæ non animantur ſunt medulla, quæ eſt in aliis oſſibus, pinguedo, adeps, melanconia, pituita, colera, lac, ſperma, ex ſanguis, qui probabilius videtur pars integralis quam ſubſtantialis. Non eſt neceſſe, vt partes, quæ animantur ſint inter ſe continuæ, ſed ſufficit, vt ſint contiguæ. In vno homine non dantur plures actu animæ; ſed vnica rationalis æquiualens ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, ſicut in bruto vno vnica eſt anima, eaque ſenſitiua continens virtute vegetatiuam.

Sententia Ponens totam hominum collectionem animari vnica anima reijcitur vt repugnans tum anctoritati Sacræ ſcripturæ, & conciliorum, tum Ariſtoteli, tum principiis bonæ philoſophiæ. In viuentibus nulla datur animarum ſucceſſio, ſed fœtus, ſtatim ac animatur, animatur anima rationali, ſi eſt humanus, vel anima ſenſitiua ſuæ ſpeciei ſi eſt brutalis.

Ariſtoteles lib. 2. de generatione animalium cap 3. dicens quod non fit ſimul animal, & homo, non eſt intelligendus de ſucceſſione animæ in actu primo, ſed de ſucceſſione animæ in actu ſecundo.

Concluſio ponens animam rationalem indiuiſibilem eſt certa. Animæ perfectorum animalium ſunt extenſæ, ac diuiſibiles. Animæ verò plantarum, & animalium imperfectorum non ſolum ſunt diuiſibiles, ſed etiam ita diuiſibiles, vt poſt diuiſionem vtraque pars animæ perſeueret ſaltem ad aliquod tempus. Partes iſtæ animarum diuiſibilium ſunt ſubſtantialiter diuerſæ, & etherogeneæ. Non tamen etherogeneitas iſta ſufficit ad ſaluandam diuerſitatem membrorum, quæ reperitur in corporibus brutorum, ſed præterea requiruntur formæ partiales ſubſtantiales.

Potentiæ animæ aliæ ſent organicæ, vt potentia ſenſitiua, viſiua, auditina, guſtatiua, odoratiua, tactiua, imaginatiua, & appetitiua. Aliæ ſunt inorganicæ, vt intellectus & voluntas. Potentiæ organicæ ſaltem partialiter diſtinguuntur ab anima. Inorganicæ tum inter ſe, tum ab anima totaliter diſtinguuntur. Ad omnes actus vitales anima concurrit immediate principaliter, & vt quod, Potentiæ vero concurrunt tanquam inſtrumenta, & vt quo. Loca Sanctorum Patrum, quibus probari videtur

ani-

animam identificari cum ſuis potentijs memoria ſcilicet, intellectu &c. ſunt explicanda non de memoria,& intellectu formali, ſed de radicali. Similiter explicandus eſt *Ariſtoteles* cum dicit animam eſſe principium, quo ſentimus, intelligimus &c. non enim tunc loquebatur de principio formali, ſed radicali. Actus immediate recipiuntur in potentijs; mediate in anima. Potentiæ inorganicæ recipiuntur in ſola anima; a qua ſeparari poſſunt ſupernaturaliter; at ſeparatæ non poſſunt edere ſuos actus, Sunt accidentia abſoluta reſpectu ſubiecti; relatiua vero reſpectu obiecti. Modus illas producendi eſt, vt intellectus producatur prius tempore ab anima; deinde voluntas ab anima, & intellectu.

Potentiæ extrinſecæ ſpecificantur ab actibus, & obiectis non materialiter, ſed formaliter ſumptis. Potentiæ animæ vegetatiuæ ſunt tres Nutritiua, Augmentatiua, & Generatiua. Per calorem naturalem tanquam per inſtrumentum anima exercet ſuas potentias; calor iſte non differt ſpecie ab elementari. Obiectum potentiæ nutritiuæ eſt alimentum, quod aliud eſt proximum,aliud remotum, proximum eſt quod immediate conuertitur in ſubſtantiam aliti, huiuſmodi eſt ſanguis in animalibus quæ habent ſanguinem, non tamen eſt proximum alimentum ſingulorum membrorum in animali. Alimentum remotum requirit plures conditiones. Prima eſt, vt non ſit omnino ſimile rei quam nutrit. Secunda, vt à calore naturali ſit tranſmutabile in ſubſtantiam aliti.. Tertia eſt,vt ſit mixtum: Propter defectum ſecundæ conditionis lapides, metalla, & huiuſmodi non poſſunt eſſe alimentum hominis: propter delectum tertiæ pura elementa non poſſunt eſſe alimentum. Accidentia euchariſtica ex ſe & ratione ſua non poſſunt nutrire, & in vniuerſali nulla accidentia poſſunt nutrire.

Nutritio ſtrictè ſumpta eſt Tranſmutatio alimenti præparati, & concocti in ſubſtantiam aliti. Latè ſumpta accipitur pro omni ea functione, quæ pertinet ad nutriendum viuens, & ſic comprehendit omnes præuias concoctiones, & præparationes. Opera nutritionis nunquam intermittuntur à natura. Ad nutritionem eſt neceſſaria cooperatio ſpirituum, qui non ſunt materia ſolitarie accepta, neque calor ſolitarie acceptus, ſed compoſitum ex materia tenui, & calore cum forma ſpiritus. Nutriuntur humore pingui, vt flamma nutritur oleo. Hic humor eſt

hu-

humidum radicale quod diffunditur per omnia membra, & augetur per humidum alimentitium. Spiritus iſti diuiduntur in animales, & vitales: Animales ſunt per quos fiunt ſenſationes. Vitales ſunt per quos fiunt cæteræ operationes. Probabilius eſt hos ſpiritus eſſe eiuſdem ſubſtantiæ, & ſpeciei. Eorum motus alij ſunt arbitrarij, vt ambulatio; alij naturales, vt pulſatio arteriarum. Nec in homine, nec in brutis ſpiritus ſunt anima, licet in vtriſque ſint inſtrumenta ita requiſita ad quancunque functionem animæ, vt ſine ipſis fieri non poſſit motus, nec ſenſatio, nec nutritio.

Facultates miniſtræ potentiæ nutritiuæ ſunt quatuor nempe, Attractrix, Retentrix, Concoctrix, & Expultrix, Attractrix iuuatur calore, & ſiccitate, Retentrix frigore, & ſiccitate, Concoctrix calore, & humiditate, Expultrix frigore, & humiditate: Præter has non dantur aliæ realiter diſtinctæ. Fames bene definitur appetentia calidi, & ſicci, & ſitis appetentia humidi, & frigidi. Reſpiratio eſt attractio aeris ad cor, & aeris ex corde emiſſio. Probabilius videtur datam fuiſſe à natura ad conſeruandum, & augendum calorem cordis, quam ad eundem imminuendum, & refrigerandum. Sanitas eſt apta primarum qualitatum temperies in animali. Morbus è contra eſt intemperies primarum qualitatum. Dolor ex morbo proueniens eſt actus appetitus ſentientis, ortus ex læſione naturæ percepta per ſenſum.

Vita propria corporeorum eſt permanſio animæ vegetantis cum calido. Cauſæ longæ vitæ ſunt quatuor. Prima eſt abundantia humidi viſcoſi, & copia ſanguinis. Secunda eſt apta præcipuarum corporis partium inter ſe proportio quo ad temperamentum. Tertia eſt temperantia in victu & potu. Quarta eſt facilis egeſtio ſuperfluitatum. His quatuor contrariæ cauſæ cauſant vitam breuem, & mortem. Mors alia eſt naturalis, alia violenta, naturalis à vulgo dicitur quæ contingit vi ſenij aut morbi, à philoſophis vero dicitur ſolum illa, quæ accidit ob nimiam ſenectutem. Violenta à vulgo dicitur quæ prouenit à ferro, naufragio; ſuſpenſione &c. & à philoſophis illa dicitur, quæ non accidit ob ſolam nimiam ſenectutem. Mors eſt debita omnibus viuentibus corporeis ob cauſas internas id exigentes. Augumentatio proprijſſima definitur. Acquiſitio maioris materiæ quan-

tæ

Digitized by Google

tæ vt quanta eſt ſeruata proportione partium viuentis facta per introrumptionem alimenti. Ad hanc Ariſtoteles requirit tria. Primo vt fiat ſecundum omnes dimenſiones. Secundo vt id quod augetur remaneat idem. Tertio vt augeatur inſenſibiliter, nec notabile ſit augumentum ſecundi inſtantis ſupra augmentum primi. Hæc augmentatio differt à nutritione per hoc quod nutritio non connotat augmentum viuentis ſed ſolum reparationem partium deperditarum, & augmentum facit vt maius ſit quam ante; Conuenit autem cum nutritione in hoc quod vtraque eſt conuerſio alimenti in ſubſtantiam aliti. Augmentatio fit in omnibus partibus viuentis, quæ ſint notabilis magnitudinis licet non æqualiter neque quoad molem, neque quoad tempus. Cauſa efficiens & vt quod augmentationis eſt ipſum viuens. Cauſa vt quo eſt anima. Cauſa inſtrumentalis eſt calor naturalis, quo languente non ſolum viuens non augetur, ſed decreſcit, ideo non fit toto vitæ tempore.

Potentia nutritiua, & augmentatiua diſtinguitur realiter à potentia generatiua. Hæc operatur per ſperma quod eſt portio ſanguinis magis depurati, & cocti, & cuius partes ſpiritoſæ animantur anima viuentis in quo exiſtunt. Generatio ſumitur. Primo latiſſime pro quacunque productione ſubſtantiæ. Secundo late pro productione ſolius viuentis, ſed facta à quocunque, & quomodocunque. Tertio ſtricte pro productione viuentis ab alio viuente. Hæc definitur. Origo viuentis à viuente principio coniuncto in ſimilidinem naturæ. Ad hanc mater concurrit actiue, ex qua, & ex Patre ſimul concurrentibus formatur prius caput, quam cor, aut iecur prolis.

Senſus non eſt Potentia pure paſſiua, neque pure actiua, neque duplex potentia realiter diſtincta quarum vna ſit actiua, altera paſſiua, ſed eſt potentia realiter vna formaliter tamen diſtinguitur, & ſecundum vnam conſiderationem eſt actiua, ſecundum aliam eſt paſſiua. Senſus alij ſunt externi, alij interni. Externi ſunt quinque viſus, auditus, odoratus, guſtus, tactus. Inter hos duplex intercedit ordo alter neceſſitatis, alter dignitatis. Ordine neceſſitatis primus eſt tactus, ſecundus guſtus, tertius odoratus, quartus auditus, quintus viſus. Ordine dignitatis Primus eſt viſus, ſecuudus auditus, tertius odoratus, quartus guſtus, quintus tactus. Viſus præcellit cæteros tum obiecto

tum

tum organo. Ex ſenſibus alius in alio animali perfectior eſt. Senſus eiuſdem appellationis ſunt eiuſdem ſpeciei. Ad viſum, & auditum ſunt neceſſariæ ſpecies emiſſæ per propagationem ab obiecto, à quo ſpecie differunt, & recipiuntur tam in potentia, quam in eius organo; Ad alios ſenſus nempe odoratum, guſtum, & tactum non requiruntur ſpecies. Obiectum ſenſuum aliud eſt per ſe, aliud eſt per accidens. Obiectum per ſe eſt quod verè immutat ſenſum ſiue per ſe ipſum, ſiue per ſpeciem à ſe emiſſam. Obiectum per accidens eſt quod neque per ſe ipſum, neque per ſpeciem à ſe productam immutat ſenſum, ſed ſolum eſt coniunctum cum eo, quod immutat.

Senſibile per ſe ſubdiuiditur in proprium, & commune. Sicut quinque ſunt ſenſus externi, ita quinque ſunt ſenſibilia propria, nempe viſibile, audibile, odorabile, guſtabile, tangibile. Quinque etiam ab Ariſtotele, & bene aſſignantur ſenſibilia communia nempe magnitudo, figura, numerus, motus, & quies. Senſus nunquam errat circa ſenſibile proprium ſub ratione generica acceptum; circa proprium acceptum ſub ratione ſpecifica errat. Errat etiam circa ſenſibile commune non tantum in ſpecie, ſed etiam in genere ſpectatum: Nunquam tamen omnes ſenſus ſimul decipiuntur. Non ſolum à morbo, fame, nimia attentione, nimiaque diſtractione ſenſus læduntur, ſed etiam à vehementi ſenſibili, vel ratione qualitatis cum eo coniunctæ, vel ratione ſpeciei intentionalis excedentis vim paſſiuam potentiæ. Inter viſibile, & viſum ſemper interuenit aliquod medium, vt etiam inter audibile, & auditum. Inter tangibile vero, & tactum: guſtabile, & guſtum: odorabile, & odoratum nihil intermediat per ſe.

Lumen non eſt forma ſubſtantialis, neque corpus, neque effluxus corpuſculorum, ſed eſt forma accidentalis, & qualitas nobiliſſima, quæ qualitas appellatur lux quatenus eſt in ipſo corpore lucido; lumen verò quatenus eſt diffuſa in medio. Lumen prout diſtinctum à luce definitur actus perſpicui quatenus perſpicuum eſt. Propagatio lucis non fit per ſe ſucceſſiue, ſed in inſtanti. Lumen quatenus eſt in corpore lucido, à quo diffunditur, & quatenus eſt in corpore opaco, in quo recipitur videtur per ſe, & terminat viſionem ſiue videatur per medium illuſtra-

rum ſiue per medium obſcurum. Lumen quatenus eſt in medio terminato ab aliquo corpore opaco videtur, ſed non terminat viſionem.

Color eſt quod mouet perſpicuum in actu. diſtinguitur realiter à luce. Inter colores extremi ſunt albedo, & nigredo. Aldebo eſt diſgregatiua viſus, & Nigredo congregatiua. Viſio non fit per emiſſionem corpuſculorum, neque per tranſmiſſionem radiorum, etiamſi radij dicantur eſſe qualitates lucidæ, ſed fit per intromiſſionem ſpecierum in oculo, quæ tamen ſpecies non ſunt lux ab obiecto ad oculum reflexa, & obiecti colore tincta. Sunt diuiſibiles tribus modis nempe diuiſibilitate obiecti, ſubiecti, & intenſionis. Species tam ſenſuum internorum, quam externorum non pendent in conſeruari à cauſa producente. Potentia viſiua eſt potentia vitalis materialis percipiens ſolum colorem, & lucem. Viſio non fit in tunica retiformi oculi, neque in humore criſtallino, ſed in ſpiritu animali. Auditus eſt potentia ſenſitiua ſolummodo percipiens ſonum, auditio principaliter fit à ſpiritu exiſtente in extremitate. Obiectum auditus eſt ſonus, qui eſt qualitas conſequens ex motu locali corporum inter ſe inuicem allidentium. Subiectum, in quo ſonus recipitur, eſt corpus medium inter colliſa corpora. Sonus non ſolum intentionaliter, ſed etiam realiter defertur tum per aquam, tum per ignem elementarem per terram autem magnæ craſsitiei propagatur ſolum intentionaliter. Sonus quo ad aliquam partem medij propagatur realiter, ſemper tamen auditur per ſpeciem ſui. Sonus propagatur ſucceſſiue. Inter ſpecies ſoni vox eſt præſtantiſſima. Echo eſt ſonus reflexus ſiue reflectatur per realem, ſiue per intentionalem propagationem, ad edendam echo requiritur concauitas corporis obiecti. Odoratus eſt potentia percipiens ſolum odorem, qui non eſt ſubſtantia exhalata, neque corpuſcula, ſed eſt qualitas odoratu ſenſibilis. Medium, per quod odor diffunditur, eſt tum aqua, tum aer. Potentia odoratiua non reſidet in carunculis mamillaribus naſi, ſed in ſpiritibus qui reſident in neruis illius. Guſtus eſt potentia percipiens ſolum ſaporem. Diſtinguitur à tactu, licet potentia ſaporatiua ſit etiam tactiua. Sapor non eſt ſubſtantia, ſed qualitas ſecunda patibilis in humido aqueo

à Sic-

a Sicco terreſtri, & calore proueniens, guſtum afficiens. Quod dulce eſt vni animali, eſt dulce omnibus; licet dulcedo non æque ſit grata omnibus. Extrema Saporum ſunt dulce, & amarum, ſi conſideretur modus, quo ſenſum afficiunt; ſi vero conſideretur cauſa, a qua oriuntur. Sunt acutum, & acerbum.

Ex mixtione diuerſorum ſaporum non oritur tertius ſapor ab ipſis diſtinctus, niſi coquantur. Potentia guſtatiua eſt in lingua, ſed præcipuè in eius cuſpide, extenditur verò etiam ad palatum, non indiget ſpeciebus intentionalibus, nec medio vllo externo.

Obiectum tactus ſunt primæ quatuor qualitates, & ex ſecundis durities, & mollities, grauitas, & leuitas, lubricoſitas, & ariditas; aſperitas, & læuor, craſſities, & tenuitas. Dolor autem, & volupeas non ſunt eius obiectum, ſicut nec fames, & ſitis, quatenus ſunt appetentia cibi, aut potus.

Ad faciendas ſuas ſenſationes tactus nullo indiget medio, neque externo, neque interno, nec ſpeciebus intentionalibus; nec de illo verificatur commune dictum: ſenſibile ſupra ſenſorium non facit ſenſationem.

Organum tactus non ſunt ſoli nerui, ſed etiam caro, & cutis, præcipuè verò illa, quæ contigit volam manus.

Præter ſenſus externos, quorum organa extrinſecus apparent, dantur etiam ſenſus interni, æſtimatiua ſcilicet, appræhenſiua, memoria, & ſenſus communis, qui tamen ſunt idem realiter cum vna eademque facultate appræhenſiua, quæ communi nomine vocari poteſt phantaſia, licet inter ſe diſtinguantur formaliter propter officia ſpecie diuerſa. Ad operationes ſenſus interni requiruntur ſpecies, quæ aliæ ſunt ſenſatæ, aliæ non ſenſatæ, aliæ ſunt ſimplices, aliæ compoſitæ. Species ſenſitæ ſimplices oriuntur, & effectiuè producuntur à ſolis obiectis, & tranſlatæ per neruos ſenſorios ad cerebrum vocantur phantaſmata: compoſitæ autem producuntur ab ijſdem obiectis, nec ſunt quid realiter diſtinctum à ſimplicibus ſimul iunctis. Species non ſenſatæ non oriuntur, nec effectiue producuntur ab obiectis ſenſatis, ſed ſunt naturaliter ingenitæ animantibus. Porro ſenſus interni, licet ſint realiter idem cum vna, eademque fa-

cultate phantaſiæ, diſtinguuntur tamen formaliter inter ſe propter officia ſpecie diuerſa, à quibus ſortiuntur ea diuerſa nomina. Officia igitur ſenſus communis ſunt tria. Primo percipit non ſolum omnia ſenſata per ſenſus externos, ſed etiam omnes actus ſenſuum externorum. Secundo diſcernit, & diudicat obiecta diuerſorum ſenſuum, quod præſtari non poteſt ab vllo ſenſu externo; vndè ſenſus communis benè dicitur arbiter, & iudex cœterorum. Tertio communicat ſenſibus externis vim ad ſuos ipſorum actus efficiendos, demittendo ad illos ſuos Spiritus animales, quos à ſe veluti à fonte, ac primario Inſtrumento ſentiendi effundit. Phantaſia, ſeu imaginatiua pro vt formaliter diſtincta, tum à ſenſu communi, tum ab æſtimatiua, Et memoria definiri poteſt: Facultas animæ, qua res externæ concipiuntur antea perceptæ ſenſu communi, ſiue ſint præſentes, ſiue abſentes eius officia ſunt primo retinere aliquandiu ſpecies delatas ad ſenſum communem. Secundo per eiuſmodi ſpecies, quæ dicuntur phantaſmata, cognoſcere res abſentes, & præſentes, & componere, ſeù diuidere inter ſe ſpecies ſenſatas exceptas à Senſibus Externis. Tertio regere bruta, quę reguntur ab imaginatione, ſicut homines à ratione. Phantaſia ineſt omnibus animalibus, & eſt magis, vel minus perfecta, quo magis, vel minus perfecta ſunt ipſa animalia. Æſtimatiua differt ab imaginatiua penes ſuos actus, ſeù munera; Primum eſt cognoſcere per ſpecies non ſenſatas aliquid ſub ratione amici, vel inimici; vtilis, vel inutilis. Secundum coniungere ſpecies ſenſatas cum non ſenſatis. Tertium ferre iudicium de rebus perceptis per ſpecies, ſiuè ſenſatas, ſiuè non ſenſatas, & de ijs ſuo modo diſcurrere. Memoria habet diutiſſime conſeruare ſpecies, quas ſenſus tum interni, tum externi ab obiectis habuerunt, earumque beneficio res præteritas, quatenus præteritas recordari. Duo ſunt eius actus memorari, & reminiſci; Primus conuenit omnibus animalibus. Secundus ſoli homini, quia præſupponit diſcurſum, quo rem pene obliteratam reuocemus in memoriam.

Anima rationalis eſt ſubſtantia Spiritualis, & ſuapte natura, non ex mero libito Dei immortalis, Duo autem hęc prædicata patent, non ex ſolo lumine fidei, ſed etiam rationis naturalis. Eſt forma informans corpus. Non procreatur virtute ſeminis, nec edu-

educitur de potentia materiæ, ſed creatur à ſolo Deo, non ante infuſionem in corpus, ſed in eodem Inſtanti, in quo corpori infunditur.

Datur in ea intellectus, & voluntas, potentiæ inter ſe, & ab eadem diſtinctæ. Obiectum intellectus non eſt ſolum ens verum, ſed ens intelligibile præſcindens à vero, & falſo. Intellectus cognoſcit etiam ſingularia non ſolum ſpiritualia, ſed etiam materialia, & ſenſibilia. Subaſtiantias materiales cognoſcere poteſt per proprias ſpecies, ſicut etiam earum potentiam habitus, & actus. At ſubſtantias ſpirituales ſeparatas non poteſt in præſenti vitæ ſtatu cognoſcere diſtinctè, & clarè, ac per proprias ſpecies, poſſit vi diſcurſus eas certo cognoſcere, tum quo ad exiſtentiam; tum quo ad quidditatem. Se ipſam verò anima non intelligit per cognitionem à ſe indiſtinctam, nec per diſtinctam directam, ſed per reflexam.

Ad intelligendum neceſſariæ ſunt ſpecies intelligibiles ſpirituales, nec ſufficiunt phantaſmata, ſiue impreſſa, ſiue expreſſa, vtraque tamen concurrunt non tanquam cauſa, ſed conditio ad earum productionem factam ab intellectu agente, qui ordinarie intra corpus non negotiatur circa obiecta, circa quæ non negotietur phantaſia. Dixi ordinarie, vt excludatur extaſis, in qua ceſſant omnes operationes, tam externorum: quam internorum ſenſuum. Dixi intra corpus, quia poſt ſeparationem à corpore non remanet phantaſia, & tamen dantur intellectiones.

Præter ſpecies intelligibiles productas ab intellectu agente dantur aliæ productæ à paſſibili, qui non diſtinguitur realiter ab agente, ſed ſolùm formaliter ratione diuerſorum munerum.

Munus intellectus agentis eſt concurrente phantaſia producere ſpecies ſpirituales obiectorum materalium, eaſque imprimere intellectu poſſibili, & per hoc dicitur illuſtrare phantaſmata, & tum illa, tum eorum obiecta materialia ſpiritualizare.

Munera intellectus poſſibilis ſunt varia, & ab illorum varietate varia ſortitur nomina. Primo appellatur ſimpliciter, & abſolutè intellectus, ſeu mens quatenus ad ipſum pertinet munus eliciéndi intellectiones, ſeù ſimplices, ſeù compoſitas verſantes circa prima principia. Secundo dicitur intellectus patiens, ſeù paſſibilis, quatenus patitur, & in ſe recipit ſpecies ipſi impreſ-

ſas ab intellectu agente. Tertio dicitur intellectus poſſibilis quatenus ex ſe eſt in potentia, vt res obiectas intelligat, & vt actuetur per ſpecies receptas ab intellectu agente. Quarto dicitur ratio, quatenus per diſcurſum vnum ex alio colligit: quod ſi diſcurſus ſit circa res diuinas, vt inde accipiat regulas agendorum, dicitur ratio ſuperior; inferior verò, cum ſolum vtitur conſilio humano. Quinto dicitur intellectus ſpeculatiuus, quando elicit cognitiones, quæ per ſe non referuntur ad praxim: practicus verò, quando elicit per ſe ordinatas ad opus.

Intellectio non eſt mera receptio ſpecierum intelligibilium, ſed eſt actus vitalis potentiæ intellectiuæ. Differt à Senſationibus. Primo ratione ſui; tum quia ad Intellectum pertinet, non ſolum ſimplex apprehenſio, ſed etiam iudicium, & diſcurſus, quibus caret ſenſatio; tum quia reflectit ſupra ſe ipſam, & abſtrahit obiectum ab accidentibus ſingularizantibus, quod ſenſationi non conuenit. Secundo ratione obiecti, quia non ſolùm verſatur circa ſingularia, vt ſenſatio, ſed etiam circa vniuerſalia; neque læditur ab obiecto, vt aliquando ſenſatio. Tertiò ratione principij, quia intellectus eſt potentia ſpiritualis, & poteſt percipere etiam ſpiritualia; Senſus verò eſt materialis, & ſola percipit materialia. Quarto ratione ſubiecti, quia intellectio neque inadæquatè recipitur in ſubiecto corporeo; at Senſatio ſaltem inadæquate recipitur in organo corporeo.

Intellectio non eſt mera receptio ſpecierum intelligibilium, ſed eſt actus vitalis ipſius potentiæ intellectiuæ. Porrò tùm iſte, tum cæteri omnes actus vitales non producuntur per actionem à ſe diſtinctam, licet durent per durationem à ſe diſtinctam.

Habitus eſt qualitas difficile mobilis dans ſubiecto facilitatem operandi. Non datur in potentijs externis cognoſcitiuis: datur verò in internis materialibus, & in intellectu, licet ſint potentiæ neceſſariæ determinatiſſimæ & inclinatiſſimæ ad ſuos actus: nempe munus habitus nunquam eſt inclinare, ſed facilitare. Datur etiam in voluntate, ſed cum hac differentia; quod habitus intellectus, aliarumque potentiarum cognoſcitiuarum non diſtinguuntur à ſpeciebus impreſſis; at habitus voluntatis diſtinguuntur. Vtrique, ſi ſint naturales, producuntur ab actibus, & incli-

clinant ad actus ſimiles illis, à quibus ſunt producti. Quarè quot ſunt actus ſpecie diuerſi, tot ſunt habitus ſpecie diuerſi; ſed ſicut multi actus diuerſi ſpecie aliquando conſtituunt vnam ſcientiam totalem, actualem; ità multi habitus vnam habitualem. A primo actu, ſi ſit remiſſus, non producitur habitus; Si verò ſit intenſiſſimus, producitur, & deindè creſcit iuxtà multiplicationem, ac intenſionem actuum ſequentium. Nullus habitus corrumpitur per ſolam ceſſationem ab actibus; ſed Spirituales voluntatis corrumpuntur per introductionem habitus contrarij: habitus naturales ſenſuum internorum ſolum obruuntur ſuperuenientibus ſpeciebus aliorum obiectorum.

Ex

CONCLVSIONES METAPHYSICAE.

PROPRIVM obiectum Metaphiſicæ eſt ens vt ſic præſcindens à ſenſibili, & inſenſibili, certitudine ſuarum cognitionum ſuperat omnes ſcientias præter Mathematicam. Dignitate, & perfectione deſumpta ex obiecto ſuperatur ab omnibus, Comparando ſimul imperfectionem obiecti, & perfectionem ſuæ certitudinis vtrum perfectior an imperfectior ſitquam Phyſica, & cœteræ ſcientiæ à Mathematica diſtinctæ, eſt incertum. Nullam ſcientiam ſubalternat ſi ſubalternata debet ſuperaddere differentiam accidentalem obiecto proprio ſubalternantis: Si verò hoc non requiritur, ſubalternat omnes, quia omnes accipiunt principia à Metaphiſica.

Ens vt ſic eſt conceptus adeò notus, vt per aliquid clarius definiri non poſſit. Conuenit autem omni rei, quæ non inuoluit prædicata contradictoria, ſiuè ſit actu exiſtens, ſiuè mere poſſibilis, ſiuecreata, ſiue increata, ſiue ſubſtantia, ſiue accidens.

Proprietates Entis ſunt Vnum, Verum, Bonum. De vno dictum eſt in Logica. Verum duplex eſt, alterum formale, ſeù Logicum; alterum tranſcendentale, ſeu metaphyſicum. Primum conuenit ſoli cognitioni affirmanti, vel neganti, & conſiſtit in eius conformitate cum obiecto affirmato, vel negato. Secundum conuenit rebus omnibus, & conſiſtit in hoc, quod vnaquæque res ſit conformis ideę diuinæ de ipſo. & quia nihil datur, vel dari poteſt huic difforme, ideò nihil datur, vel dari poteſt ſimpliciter, & abſolutè falſum. Bonum ſimiliter duplex eſt: alterum morale: alterum phyſicum, & tranſcendentale. Primum eſt id, quod eſt conforme rectæ rationi: Secundum eſt, *cui nihil eſt extrà eorum, quæ ipſius ſunt*.

Poſita identitate reali eſſentiæ cum exiſtentia, eſſentia conci-

pi-

pitur formaliter, vt oppoſita Chymeræ: Exiſtentia verò vt oppoſita negationi. Negationes autem nullæ ſunt poſſibiles diſtinctæ realiter ab omni ente poſitiuo. Sed negatio obiectiua formalis eſt res ipſi extrinſecè denominata non exiſtens per exiſtentiam contrarij omnino ſecum incompoſſibilis: Porrò denominatio extrinſeca eſt fundamentum præſtitum ab vna Entitate, vt de alia dicatur verè prædicatum, quod in ipſi neque per identitatem, neque per phyſicam vnionem exiſtit. Obiectum adæquatum cognitionis fingentis eſſentialiter inuerificabilis, neceſſario eſt ens reale, atque hoc, vt connotans illam, dicitur Chymera.

Subſiſtentia eſt entitas modalis ſubſtantialis realiter diſtincta à natura ſubſtantiali, hoc eſt à materia forma, & vnione; addita tanquam vltimum complementum, ſine quo natura ſubſtantialis non eſt vltimo completa, & quo vltimo completur. Si ſubſiſtentia addatur naturæ rationali dicitur perſonalitas, & totum ex ipſis reſultans dicitur perſona; Si verò addatur naturæ irrationali vocatur ſuppoſitalitas, & totum ex ipſis reſultans dicitur ſuppoſitum.

LAVS DEO.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRTVTVM IMPERIVM

IN EMINENTISSIMO PRINCIPE

ANTONIO

CARDINALI BARBERINO

Muſicis plauſibus inauguratum

DVM


Sub eius auſpicijs

TORQVATVS MAZZA PISAVRENSIS

S. R. Con:

Philoſophica laurea Inſigniretur

IN SEMINARIO ROMANO.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE.

Ex Typographia Ignatij de Lazaris. M. DC. LX.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

RELIGIO

EMINENTISSIMO PRINCIPI

ANTONIO

CARDINALI BARBERINO

Ob inſignẽ in templa munificentiã

Cæli arbitrium pollicetur.

MELOS PRIMVM.

Plaudite virtutes: ANTONIVS *imperat aſtris.*
Et Cæli arbitrium Religione petit.
Ille Cælo iura dat
Qui Tonanti dona fert.
Qui tributa ſortis aſtris
Liberali corde dat
Sedet aſtris ille Rex;
Ità ſancit alma lex.
Dicite, dicite Cælites
Quanto depluit auro
Princeps ſacras fuſus ad aras.

RELIGIO

EMINENTISSIMO PRINCIPI
ANTONIO
CARDINALI BARBERINO

Ob inſignẽ in templa munificentiã

Cæli arbitrium pollicetur.

MELOS PRIMVM.

PLaudite virtutes: ANTONIVS *imperat aſtris.*
Et Cæli arbitrium Religione petit.
Ille Cælo iura dat
Qui Tonanti dona fert.
Qui tributa ſortis aſtris
Liberali corde dat
Sedet aſtris ille Rex;
Ità ſancit alma lex.
Dicite, dicite Cælites
Quanto depluit auro
Princeps ſacras fuſus ad aras.

Digitized by Google

Regnat ſolido Tibi metallo
Loiolæ tumulus funeris immemor;
Gemmas inter viget argento:
Nec cinis animæ munera Cæli,
Nec regnatis inuidet aſtris.
Loiolæ cinere
Quantus inambulat
Hoſpes ab æthere,
Splendor deciduus.
Quanta perambulat
Gemmarum facibus,
Scena volubilis!
Totus honoribus
Totus amoribus
ANTONIVS *Dux*
Affulſit inde Templo clara lux:
Dicite, dicite Cælites
Quanto depluit auro.
Ipſa quin Cælo docet æmulari
Templa, quæ Gallis Ludouice ſeruas.
Cerne; coloratis ſurgunt animata figuris;
Inuidiamque polo propius ſpectata refundunt.
Nouas in ædes iam ſuperis placet
Migrare polo ſponte relicto;
In terras ſuperum ducta Colonia
Princeps auſpicijs Tuis.

Ergo

Ergò plaudite virtutes
Date riſus, & choreas
Date ludos BARBERINO:
Moderetur vnus omnes
Qui virtute polum regit.
Age Choros
Age modos
Circinatim
Turbinatim
Age, gradere, ſequere, cane
Ite paſſu diſſoluto
Per occurſus, & recurſus
Saltitate, conuolate.
Ludite cantu,
Plaudite motu
Ludite, trudite, quatite, flectite.
Cæleſtes oras
Grandi munere dextera tangit:
Infernas vmbras
Grandi fulmine dextera frangit.
Princeps aureus imperat aſtris:
Princeps aureus imperat vmbris.
Victor in aſtra:
Victor ab aſtris.
Age choros:
Age modos:

Age, gradere, ſequere, cane.
Euolutos implicate
Textiles in arte luſus.
Conuolutos explicate
Eloquentes arte greſſus
Agite celeres
Fugite volucres
Fug.te, plaudite, fingite, flectite
Vos repente verticoſo
Ima flexu obambulate:
Gradu moras vos peroſo
Mille ſaltus replicate.
Flecte citatos:
Siſte rotatos:
Age, gradere, ſequere, cane.
Procul ite, cedite, cedite
Conuolate, cedite, cedite,
Turbinate, cedite, cedite.
Rurſus in orbes:
Rurſus in auras:
Ducite, flectite, ludite, ſiſtite.

PRV-

Digitized by Google

PRVDENTIA, ET CLEMENTIA VIRTVTES PACIS

EMINENTISSIMO PRINCIPI

Pacati orbis præſtant obſequium

MELOS SECVNDVM

REgnate virtutes in orbe:
Princeps purpureæ grande decus Togæ
Virtutibus imperat Orbi.
Quanta viden læto Prudentia ſurgat in oſtro
Et librata ſuo diademata venſilet ore!
Regem non faciunt gemmea regiæ
Rudimenta comæ, vincula purpuræ.
Rex eſt qui facili mentis acumine
Momenta rerum prouida venſilat.
Non tumultus Martiales
Non cruentum cæde ferrum
Prudens amat; ſed Togatos
Quærit honores
Quærit amores.
Ergo pacis vectigales
Ite plauſus in coronam
Ite laudum liberales:
Fundite palmas

Fundite pacem.
Tibi ſpumanti ſequana fluctu,
Tumidoque ferox ſonat argento:
Tibi plena tument caſtra triumphis.
Nunc pacato plauditur orbe..
Tibi merces triumphorum
Tibi ſtat ſeges honorum
Quæ nitet, arridet
Multiplicatque facem
Et vibrat rutilanti ab ore pacem.
Amat te læta pax votum amoris
Dulcis meta laborum
Fuga nitens dolorum
Ventilat tibi pax faces honoris.
At quæ faciles animos exhibes,
Et larga cordis prodigis obuia
Munera pacatis
Quate laurigeros pacis honores:
Et BARBERINO *conſere principi.*
Longe fugate curas
Procul ferte dolores
Et Martis procul hinc feri timores.
Soles, dieſque puras
Inuexit alma fax
Affulſit alma mundo læta Pax.
Salue pax ſeges decorum:

Sal-

Salue pax meſſis laborum:
Tuta dormi pax tenella
Nulla quaſſabunt te phalangum bella.
Bella lalla læta pax
Bella lalla clara fax
Bella lalla honoris dos
Bella lalla mundi flos.
Floreſcit in te
ANTONI *pax alma*
A te fugit nox
Tibi plaudit vox.
Bella fremat bella Thrax
Nulla timet bella pax
Thraci parat bella mors
Nam triumphat pace ſors.
Cinge corona
Pugnabit ipſa pax Duce Bellona.
Floreſcit in te
ANTONI *pax alma*
Floret omnis ars
Dum torpeſcit Mars.
Bella lalla læta pax
Bella lalla clara fax
Bella lalla honoris dos
Bella lalla mundi flo.
Funde flores

Fun-

Digitized by Google

Funde odores.
Funde ver muſarum nobile
Et floreſcat in te iubar immobile.
Fæta campos pinge frux
Quos maritat pace lux
Nunc tumeſcat fronde flos
Dum colorat arua ros,
Nulla colore
Damna iam ſentit ver fuſa cruore.
Floreſcit in te
ANTONI *pax alma*
Tibi nitet fax
Tibi ridet pax.

Digitized by Google

SAPIENTIA

EMINENTISSIMO PRINCIPI

Mundo virtutibus imperanti

Muſarum Chorum exercet

ad plauſum

MELOS TERTIVM

HVc ò ſorores muſica caſtra
Tentate plectris: Marte canoro
Mille cantus: mille plauſus
Date Muſæ BARBERINO
Fouet omnes ille Muſas,
Et virtuti ſceptra dat.
Ludite muſica bella:
Pugnate: pugnate:
Pugnemus cytharis. huc date cymbala:
Organa reſonent: huc date fiſtulas
Et concentibus pugnate:
Pugnate: pugnate.
Ille vel Martem quatiat tonantem
Fortis armatas animans cohortes,
Puluerem contra caua fulminantem
Aera dum iuſſit iaculare mortes:

Vel

Vel maritali face feriantem
Comprimat Martem, reprimatque fortes:
Galliæ laurus meret, & decores;
Auſtriæ plauſus meret, atque honores.
Ille paſcit auro pacem:
Ferro paſcit ille martem:
Auro fouet pacis artem:
Ferro fouet martis facem.
Ad te iam Mars anhelat:
Tibi laurus triumphat:
Arridet tamen pax magis honora
Videtur minùs fax Martis decora.
Ille manu liberali
Pectus haurit fodinarum;
Et procellas gratiarum
Tago fundit hoſpitali.
In te gemmaſcunt rores
Doctæ frontis ſudores:
Effundit auri lux fontes honoris:
In auro donat cor fontes amoris.
Marte clarus:
Pace clarus:
Marte regnat:
Pace regnat:
Mille laurus: mille plauſus
Reddimus omnes: reddimus omnes:

I tunc

Digitized by Google

I tunc auara ſors
ANTONI *virtus tibi clara mors,*
Te fundit inter nos.
Virtutis generoſa dos:
Muſarum honori
Muſarum decori
Auri micat flos.
ANTONI *viua fax*
Virtutis omnis, Tibi dona dat
Maiora ſortis pax.
Iam frenat fera bella Mars:
Nimbos liberales
Opes hoſpitales
Fundat pacis ars.
Veſtri collis è viretis
Muſæ texite lauream:
Muſarum Dominus iubet:
Muſæ texite lauream:
Torquatum redimite:
Ferte laurus: ferte flores:
Et Torquatum coronate:
Serto comas maritate:
Ferte frondes: ferte rores:
Mille cantus turbinate:
Verberate voce montes:
Prouocate plectro fontes:

Voce

Digitized by Google

Voce ventos vulnerate.
Torquate quæ te digna mens?
Quæ te vocauit docta gens
In caſtra fortunata?
Non te liuoris carpet dens,
Nec ſerta laureata.
Tibi Mineruæ datur dos
Parnaſſi laurus: Pindi flos;
Et Pegaſæus honor.
Tibi Dircæus manat ros:
Tibi Pimplæus odor.
Mille cantus: mille plauſus
Mille, mille, mille, mille
Tuba, tuba, buccinate
Tuba, tuba, tuba, tuba
Buccinate, buccinate.
Lyra tinni: ſile tuba
Lyra tinni, tinni, tinni
Lyra tinni, tuba tace.

Digitized by Google